Digitized by Google

BLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXII
B
17
NAPOLI

4. C. C.

Digitized by Google

XII. p. 24
XX
B

XXII
B
17.

Digitized by Google

JOHANNIS VOET, P. F. G. N.
Icti & Anteceſſoris in Academiâ
Lugduno-Batavâ

DE JURE MILITARI

LIBER SINGULARIS.

In quo plurimæ ad Militiæ, Militumque jura pertinentes controverſiæ juxta leges, gentium mores, & rerum judicatarum exempla ſunt definitæ.

Editio tertia, priore auctior & emendatior.

BRUXELLIS,
Apud SIMONEM T'SERSTEVENS, Bibliopolam
propè Templum RR. PP. Dominicanorum.
M. DCC. XXVIII.
Cum Privilegio.

SUMMA PRIVILEGII.

CArolus VI. Dei gratiâ Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Rex Caſtiliæ &c. Archidux Auſtriæ; Dux Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Diplomate ſuo ſanxit, ne quis præter Simonis t'Serstevens, Bibliopolæ Bruxellenſis, voluntatem, Librum cui titulus, *Joannis Voet de Jure Militari*, intra novennium imprimat aut alibi locorum impreſſum in hanc Provinciam importet, venalemve exponat. Qui ſecus faxit, confiſcatione dicti Libri & aliis gravibus pœnis mulctabitur; ſicuti latiùs patet in Litteris datis Bruxellæ, die 8. Oct. 1727. *Signat.* J. de Waha.

LECTORI BENIGNO.

Hunc de Jure Militari libellum, juventutis primæ fœtum, excudi iterato paſſus ſum, additis nunc iis quæ Reipublicæ noſtræ edictis aliiſque conſtitutionibus recentioribus cauta, vel illuſtrandis vel emendandis illis, quæ prius à me ſcripta fuerant, neceſſaria viſa ſunt. Quamvis enim, deficientibus dudum exemplis, impreſſionis novæ conſilium antea haud ceperim; tamen, cum anno ſuperiore ſecunda mei ad Pandectas commentarii pars in lucem prodiiſſet, in eâque ad in-

terpretationem tituli de re Militari *nihil aliud propoſuiſſem, quam inſcriptionem octo capitum, quibus hæc de* Jure Militari *tractatio abſoluta fuerat, conſultum cenſuerunt viri docti, editione repetitâ libelli deficientis copiam procurari; ut quiſque, cui id volupe, intelligere poſſit, quæ de quotidianâ & ad jus publicum pertinente materiâ non modo ex noſtri juris autoribus, ſed & magnopere ex hiſtoriarum ac literaturæ monumentis, adduxi olim, publicique juris feci. Vale.*

DE

DE
JURE MILITARI.
CAPUT I.
De bello in genere & nonnullis ejus ſpeciebus ac diviſionibus.

1. *Bellum dictum eſt à duello.*
2. *Belli definitio à Bocero tradita notatur.*
3. *Exhibetur juſta belli definitio.*
4. *Cur bellum vocetur diſſidium armatum?*
5. *Ad bellum requiritur utrinque liber populus, nec bella civilia propriè bella ſunt.*
6. *Bellum rite per fecialem denunciandum eſt, quod quo pacto olim, quibuſque ritibus factum fuerit docetur.*
7. *Bellum omni jure licitum eſt.*
8. *Illi ſoli penes quos ſuprema reſidet majeſtas indicendi belli jus habent.*
9. *Privatus privato ſub eodem Principe degenti bellum inferre nequit.*

10. *Non etiam privatus extraneo ſeu Principi ſeu privato bellum jure movet.*
11. *Princeps tamen ſubjectis indulgere poteſt licentiam per vim repetendi injuſte ablata, unde repreſſalia.*
12. *Privatus ſine Principis conſenſu bellum extraneo inferens læſæ majeſtatis reus eſt.*
13. *Illatum tamen ex improviſo bellum impune ſine prævio Principis mandato repellit.*
14. *Bellum juſtum vel injuſtum eſt, juſtum eſt ex jure gentium.*
15. *Injuſtum bellum non eſt ex jure gentium.*
16. *Non datur bellum utrinque juſtum.*
17. *Iniqua in bello juſto ſingulorum facta non tollunt Primam belli juſtitiam.*
18. *Juſtæ belli cauſæ ad tria capita rediguntur.*
19. *Legitima bellandi cauſa non eſt ſola gloria cupido.*
20. *Nec amplificandi imperii deſiderium.*
21. *Nec religionis propagandæ & hæreſeos extirpandæ voluntas.*
22. *Si ſubjectis à Principe religionis ergo vis inferatur, non ideo licet ipſis in eum inſurgere.*
23. *Niſi libera civitas eâ conditione Principi extraneo ſe ſuaque commiſerit, ut liberum retineat religionis arbitrium.*
24. *Quomodo ac quando liceat ſubjectis in Principem tyrannum arma capere.*
25. *Propter legatorum violationem jure bellum infertur.*
26. *Nefas eſt propter juſtas belli rationes, ſuper quibus pace vel fœdere tranſactum eſt, bellum movere niſi dolus paci cauſam dederit.*
27. *In bello quod prorſus injuſtum eſt ſubjecti non debent opem ferre ſuo Principi bellum inferenti.*

28. *Stra-*

28. *Stratagemata in bello licita ſunt.*
29. *Majori laude digni duces qui ſtratagematibus quam qui aperto marte ſuperant adverſarios.*
30. *Illicitus eſt in bello dolus cum fidei violatione conjunctus.*
31. *An proditorum operâ uti liceat.*
32. *Dolus cum mendacio conjunctus eſt illicitus.*
33. *Bellum vel terreſtre eſt vel maritimum.*

CUm oculos atque animum in veterem illam, quæ ſuper æthera caput extulit, Romam conjicio, ejuſque mecum repeto ortum, progreſſum, diverſas mutationes, & per temporum viciſſitudines variantes adminiſtrandi modos; ut primam ſub regibus inter infantiæ vagitus ætatem egerit, ut iis ejectis ad liberam & popularem regiminis redacta formam, ut poſtmodum, ubi vice populi ſenatum conſuli ſuaderet ingens illa civium multitudo, ad partes conſcriptos maxima devoluta fuerit in Republicâ poteſtas, ut denique Cæſar Octavius cuncta civilibus feſſa diſcordiis nomine Principis ſub imperium acceperit; ſummis viribus illos, quibus erat demandata Reipublicæ cura, annixos fuiſſe animadverto, ut non minus foris armorum gloriâ, quam domi legum juſtitiâ eſſent illuſtres; ſic ut aſſerere non dubitaverit Imperator Juſtinianus, dignam eſſe Principum faſtigio virtutem, ſi militari ſcientia æque ac juris autoritate decorata conſpiceretur imperatoria Majeſtas. Noverat enim, nec ſine viribus & armatorum præſidio inviolatas ab hoſtibus poſſe conſervari leges, nec ſine belli artibus pacem eſſe diuturnam. Quæ & ratio fuit, cur antiquiores Romani

frequentibus, iiſque graviſſimis adverſus finitimos impliciti bellis, nemini ad ullam magiſtratus dignitatem, ad ſummos in Republicâ honores patere portas voluerint, niſi quos per annos decem militiæ fortiter operam navaſſe conſtaret: & quo impenſius aliis teſtatum facerent ſuum in armorum negotio cultum, nihil omni tempore ſibi cenſuerunt antiquius eſſe debere, ubi duriora cum populis vicinis ſuborirentur diſſidia, & bellicis eſſet inſudandum laboribus, quam ut ſattam tectam conſervarent, aut ſi corruptis forte moribus collapſa foret, reſtaurarent diſciplinam militarem, idoneos Martis operibus eligendo viros, prœmia fortibus, ſceleratis pœnas pro delicti atrocitate diſtribuendo: eâ quippe ſolâ compertum habebant, tot ſeſe gentes ſubegiſſe potentiſſimas, tot ferociſſimos domuiſſe populos, jugum pertinaciter libertatis amore declinantes.

Unde & legum confirmarunt autoritate quicquid ad obſervandam militarem in caſtris juſtitiam conducere poſſe videtur: cumque ſpes non eſſet, ſolis prœmiorum illicebris in officio contineri poſſe milites, juris vinculo ac ſanctionibus ad ea peragenda vel evitanda illos obſtrinxerunt, ad quæ ſponte ſuâ forte non uſque promti invenirentur ac parati: & quamvis inter armorum ſtrepitum conticeſcere leges vulgatum ſit ubique proverbium, ſunt tamen & belli, ſicuti pacis jura; quæ, cum non prorſus inutilia ſcitu fore exiſtimem, etiam viris militaribus, ne forte idem ipſis, quod quondam Servio objiciatur; turpe ſcilicet eſſe patricio & nobili & cauſas oranti jus in quo verſatur, ignorare, Laudabiles aliorum ſecutus conatus, paucula ad hanc materiam illuſtrandam pro ingenii modulo in medium proferre decrevi. Cumque, cum

eum qui jura militaria ſcire deſiderat, etiam quid bellum ſit, haud oporteat ignorare, tribus ut ita dicam verbis in anteceſſum ejus exhibebo naturam, variaſque veluti per indicem ſpecies enumerabo.

1. Dictum autem eſt bellum, (ut à vocis exordiar origine) à duello; neque enim exploratius quicquam eſt, quam duas in bello requiri partes utrinque de ſummâ rei contendentes. Grotius *de Jure Bell. libr.* 1. *c.* 1. *n.* 2. & apud plurimos Latinæ linguæ ſcriptores antiquitus duelli nomine bellum plerumque fuiſſe deſignatum piæ memparens Paulus Voet *Tract. de Duellis cap.* 1.

2. Belli quod attinet definitionem, non una circa eam omnium juris interpretum mens eſt, quorum tamen varias ad incudem revocare opiniones ſuperſedeo; recenſuit illas ac refutavit abunde Bocerus de *Bello cap.* 1. cæterum & ipſe ſuam hac de re exhibiturus ſententiam, cenſet ibidem, *Bellum eſſe diſſidium armatum duorum contrariorum exercituum rite prius indictum.* Verum nec hanc ejus deſcriptionem, ſi penitius examines, vitio prorſus carere exiſtimes; juxta eam namque vel penes quemlibet privatum, modo exercitu ſtipatus bellum per fecialem alteri ſeu privato ſeu Reipublicæ denunciaſſet, non ſecus atque penes ſummam majeſtatem, decernendi belli reſideret poteſtas. Sic latrones cum armatorum multitudine exercitum conſtituente viatoribus inſidiantes, ſi modo publico programmate ſeſe hoſtes eſſent profeſſi, bella non latrocinia exercerent, & per denunciationem bellici juris fierent participes, adeoque facili negotio graviſſimis, quibus intercepti puniuntur, ſeſe ſuppliciis eximerent. Sic juſtum ac legitimum ſervi adverſus Scythas dominos ſuos olim moviſſent bellum, à finibus eos & laribus arcentes domeſticis;

cis; ibi quippe nec de erat exercitus, neque dominis ut recederent, denunciare neglexerunt. Juſtin. *libr.* 2. *c.* 5. Et injurii in ſervos deviĉtos dicendi forent Romani, ac immerito belli ſuſtuliſſe commercia, dum quoſvis in crucem agebant captivos; cum omnis ibi reperiretur belli forma, ſexaginta millium exercitus, Imperatores purpureâ veſte amiĉti, regium in morem fronte redimitâ, baculo utentes argenteo, & ut omnia compleĉtar, tales, qui bellicoſos Romanorum prætores non ſemel caſtris exuerant. Florus *lib.* 3. *c.* 19.

Inſuper, ſi bellum eſſet *armatum diſſidium duorum contrariorum exercituum*, quandoque abſque fœdere abſque induciis ſponte ſuâ intermitteretur, & nullâ novâ diſſidiorum datâ causâ, reſurgeret tamen ac reviviſceret, ſi forte profligatis ac diſſipatis alterius partis copiis nova cogerentur auxilia, novus ad reſtaurandas deleti vires conſcriberetur exercitus: quippe dum hæc à partibus curantur, non duo contrarii reperiuntur exercitus, adeoque nec bellum. Quæ omnia cum prorſus abſurda & à ratione aliena eſſe notius ſit, quam ut dici debeat, jure quoque merito rejiciendam eſſe tanquam minus exaĉtam Boceri definitionem nemo negaverit.

3. Ut itaque quæ mihi ſtet ſententia explicitum dem, non eum à vero aberrare autumo, qui bellum dixerit eſſe diſſidium armatum, libero populo ab altero populo libero rite indiĉtum. *arg. l.* 24. *ff. de captiv. & poſtlim, l.* 118. *ff. verb. ſigni.*

4. Diſſidium appello armatum, ut lites excludam civiles citra ullum armorum ſtrepitum coram certis judicibus agitari ſolitas, quales quandoque inter liberos utrinque populos extitiſſe omnium ſeculorum decurſus docuit; veluti cum in tertium aliquem ſeu principem, ſeu ſenatum, ſeu alios com-

communi voto electos arbitros conſentiunt, eorumque adeo ſponte ſe ſubjiciunt juriſdictioni, ut quicquid ab iis ſtatutum fuerit ac decretum, ei ſemet acquieturos promittant. Plura controverſiarum hâc methodo diremtarum enumerat exempla Albericus Gentil. *de jure belli libr.* 1. *c.* 3., & Autor *du Bouquet hiſtorial tit. de la juſtice.* Gallorum laudibus extollens ſinceritatem, & in corruptam in judicando juſtitiam, Regem ac Senatum Pariſienſem ſæpius ab iis, penes quos ſumma reſidebat poteſtas, aſſerit in judices electos fuiſſe, ac litis, quæ Frederico ſecundo cum Papâ Innocentio quarto intercedebat, deciſionem illis commiſſam commemorat.

5. Liberum utrinque deſidero populum, ut latrocinia, ſeditiones, bella civilia removeam, & ſi quæ ſint hujus farinæ alia, quibus neque belli jura neque privilegia tribuenda, ac ne nomen quidem proprio loquendi modo imponendum: in civilibus namque diſſidiis non liber utrinque contendit populus, verum una natio, uni ſubjecta Principi, in duas ſciſſa partes contrarias, in duas diviſa factiones; ubi eadem utrinque conſpiciuntur inſignia patria & infeſta ſigna, pares aquilæ, commilitonibus adverſi commilitones, ejuſdem gentis ordinibus illiſi ordines, in ſua viſcera & cognatas acies verſæ dextræ; ubi nullus Principis ſupremi conſenſus, nullum belli decretum, ſed quilibet opibus ac autoritate pollens in belli ſe ducem erigit; ubi non de reipublicæ ruinâ & exitio ſed conſervatione ſummis utrinque decertatur ardoribus, dum in ſuam quiſque partem ac factionem regnum trahere annititur, & quàcunque poteſt ratione illud urget, ne quam niſi propriam aut amicam frontem diadema obveſtiat, licet inde plerunque multum detri-

detrimenti capiat Reſpublica. *l.* 21. §. 1. *ff. de captiv. & poſtlim.* Quare nec captos in bellis civilibus victorum fieri mancipia, nec poſtliminii jura vigere ſtatuit juriſconſultus *in d. l.* 21. *ff. de captivis* nec de civibus ſuperatis triumphum agere victores permiſit inviolata veterum Romanorum modeſtia; ſic Florus *libr.* 3. *c.* 22. *in fine* de Sertorii bello tractans; *victores duces*, inquit, *externum id magis quam civile bellum videri voluerunt, ut triumpharent.* Et Lucanus Cæſaris ac Pompeji in commune ruentium nefas prælia decantaturus, ait;

Bella geri placuit nullos habitura triumphos. libr. 1.

6. Tertium denique, quod ad belli requiro ſubſtantiam, eſt ut rite indicatur, ſeu ut conſilio prius quam armis omnia experiamur, ac verbis repetamus quicquid deberi nobis aut injuſte ablatum putamus, cum blandâ ſæpe plus impetrare valeamus oratione, quam truculentis bellorum molitionibus; quod ſi denegetur, Martis aleam nos tentaturos declaremus: juſtum enim, ut inquit *Cicero* 1. *offic.* nullum intelligitur bellum, niſi quod aut rebus repetitis geratur, aut denunciatum ante ſit & indictum. Præcepit id ipſum populo ſuo Iſraelitico ſummus rerum moderator, juſſit, ut civitatum indigenis pacis offerrent conditiones, neque eos everterent, qui imperata facere non detrectaſſent. *Deuter. cap.* 20. *verſ.* 10. Nec Græcorum antiquiſſimi ſine præviâ denunciatione ad arma provolarunt. Ita, cum apud Euripid. *in Pheniſſ.* Polynices Thebas oppugnare jam animo deſtinaſſet, ac occupandum imperium vicibus alternis ſibi debitum, prius tamen quam hoſtile quicquam tentaret hoc modo fratri Eteocli loquens inducitur;

Adſum paratus nunc quoque his è finibus,
Exercitum omnem protinus deducere,

Dum

Dum me iſta dominum Regia agnoſcat ſuum
Reddenda fratri temporum juſto ambitu.
Ita nec paternas arma vaſtabunt opes,
Nec ſcala celſos faciet in muros gradum.
Sin hæc negantur, quicquid eſt juris mei
Experiar; inque hoc advoco teſtes Deos,
Cum jus petam præſtemque, &c.

Quin & Romani uſque adeo in bellis decernendis & indicendis religioſi fuiſſe perhibentur, ut teſte Cicerone *libr.* 1. *offic.* omnem belli æquitatem ſanctiſſime jure feciali perſcribi curaverint, illudque ſollicite retulerint inter juris publici ſpecies. Hinc antequam arma adverſus exteras gentes movenda judicarent, & juſtum & bono publico neceſſarium duxerunt, plurimas hoc in negotio adhibere ſolennitates, & omnes prius pacis tentare vias, ſi forte meliorem dii mentem adverſariis inſpirarent: quippe fecialium è collegio lectum quempiam auguſtioribus indutum veſtibus, & ſacris conſpicuum inſignibus, ad eorum, qui injurias intuliſſe arguebantur, urbem mittebant, qui ubi perveniſſet ad hoſtium fines, Jovem cæteroſque Deos invocans, teſtabatur pro populo Romano ſe jus ſuum repetitum veniſſe, & iter ad injuſtum inſtituiſſe populum, graviſſimis, ſi mentiretur, additis execrationibus: eadem deinde ei, in quem primus incidebat, reiterabat: poſtea & urbis vigilibus eadem repetebat; denique eodem modo in medio foro civitatis magiſtratibus aperiebat adventus ſui cauſam: qui ſi rogatis non annuiſſent, tribus datis decem dierum dilationibus, vel, uti vult Livius, triginta tribus diebus ad deliberandum interjectis, ſuperos & in feros obteſtatus diſcedebat, hoc unum adjiciens, populum Romanum per otium deliberaturum. Domum reverſus, quicquid actum fuiſſet ad ſena-

ſenatum referebat, ac ſi bellum decernere vellet, per Deos licere pronunciabat. Dionyſ. Halicarn. *lib. 2. antiqu. Roman. fere in fine.* Quod ſi bellum plurium fuiſſet decretum ſuffragiis, iterum fecialem ad hoſtiles mittebant limites, quo magis injuſtitiæ convincerent inimicos, & piam ac juſtam ſeſe cauſam fovere cunctis declararent; atque is, præſentibus ad minimum tribus puberibus, bellum denuncians, haſtam vel telum in hoſtium contorquebat agrum, additâ certâ verborum formulâ, quam Gellius exhibet *Noct. Attic. libr.* 16. *c.* 4. Aliam alii ſolent in bellis indicendis obſervare formam, quæ quamvis inter ſe diſcrepent, firmum tamen eſt atque indubitatum, jure gentium eſſe neceſſariam belli denunciationem, apud moratiores quoſque populos continuo velut uſu inductam & approbatam, nec abſque prævià juris ac rerum repetitione fædera paciſque diſſolvenda eſſe vincula, in tantum, ut latrones atque prædones audiant, quos aliter inferendi belli veſania ſubiit. *l.* 118. *ff. de verb. ſignif.*

7. Antequam autem in ulteriorem nos intromittamus de bello diſceptationem, prius deſpiciendum eſt, num certis in cauſis licitum ſit ac conceſſum belli artibus ea ſibi quærere, quæ blandis admonitionibus impetrari non potuerunt: id namque prohibitum ſi foret, fruſtra ad alias de diffidiis armatis quæſtiones, huic veluti baſi ac fundamento imponendas, extenderet ſeſe noſtra meditatio. Et ad propulſandas quidem injurias ac ablata injuſte per vim repetenda penitus eſſe permiſſum armorum adminiculum, non facile quiſquam, niſi qui videri velit humanam prorſus exuiſſe naturam, negaverit; illud enim non Naturalia tantum ac gentium jura, ſed immutabilia quoque nobis injungunt

gunt Dei præcepta : evolvamus modo ſacratos utriuſque teſtamenti codices, videbimus in iis quaqua verſum, inſignes pietate viros recuperaſſe bello res præter omne fas ſibi exeptas, hoſtium violentias armata manu coërcuiſſe, & ingenti animo ſuperbas illorum repreſſiſſe inſolentias. Sic Abrahamus, Moſes, Joſua, David, Joſaphat, aliique Iſraelitarum Reges ac Duces pientiſſimi bella mandato Jehovæ geſſerunt. *Epiſt. ad Hebreos cap.* 11. *verſ.* 30. *& ſeq.* Quin & ipſe Deus optimus maximus per dilectum fidumque ſervum ſuum Moſen varias armorum præſcribere leges & belli jura dare voluit Iſraelitico populo. *Deuteron. cap.* 13. *verſ.* 13. *toto cap.* 20. *& cap.* 31. *verſ.* 3. 4. 5. Et certe ſi magiſtratui conceſſa ſit ab univerſi rectore poteſtas animadvertendi gladio, aut alio mitiori quopiam ſupplicio in facinoroſos homines ad arcendas à ſubjectorum capitibus injurias, ab illis inferri ſolitas, qui pariter unius ejuſdemque Principis conſueti ſunt purpuram venerari : quis non longe majori jure dixerit illis eſſe permiſſum civium ſuorum vitam, exiſtimationem, & opes armis adverſus extraneos intactas conſervare ac inviolatas? Neque quicquam repugnant hiſce textus, quibus è ſacro codice petitis forte quis adverſus bellorum juſtitiam quid evincere ſe poſſe putaret; nihil enim aliud quam privatam ſingulorum illi inhibent ultionem.

8. Unde & ſtatuendi nobis incumbit neceſſitas, non poſſe quempiam armatum movere diſſidium, niſi penes quem ſuprema reſidet juris dicendi poteſtas, quique ſuperiorem in territorio ſuo neminem agnoſcit : atque adeo in monarchiâ ſoli Principi; ſolis in ariſtocratiâ optimatibus; in democratiâ populo competit univerſo jure majeſtatis indicendi belli facultas.

9. Fal-

9. Fallitur itaque quicunque putaverit, impunè propriâ ſe poſſe autoritate privato ſub eodem Principe degenti faceſſere belli negotium : edixerunt namque Valentinianus & Valens, ne cui ſe inſciis atque inconſultis armorum movendorum copia tribueretur. *l. un. C. ut armor uſus inſcio Principe interdictus ſit.* Si quis atrociori fuerit impetitus injuriâ, non ad Martis recurrat judicium, ſed Principis imploret auxilium, judices adeat ad dirimendas controverſias à Principe conſtitutos, ibi vindictam exigat, ibi poſtulet ultionem criminis in ſe perpetrati, jus dicentis requirat officium, ut is ſuâ velit autoritate lites componere, obortas ſopire rixas, & dignis nocentem ſubjugare ſuppliciis.

10. Multo minus, ut privatus in extraneum, ſive Princeps is ſit ſive ſubjectus, arma moveat, rei publicæ contextus aut boni communis fert ratio. *d. l. un.* Poſtquam enim in unum convenere mortales, & unànimi conſenſu civilis illa fuit introducta inter homines ſocietas, receſſum quoque fuit ab illo naturæ jure, cujus ſimilitudinem in brutis etiamnum cernimus obtinere, quo vim vi repellere, & injuriâ ſublata quemque armorum ope vindicare, non expectatâ ſuperioris autoritate, non erat improbatum. Atque hoc fundamento excuſatos legimus à Catone Rhodienſes: multos quidem, inquiebat, cives privatos aſperas in Romanos habuiſſe conciones, & ad bellum ſuadendum omnes adhibuiſſe facundiæ vires : nullum tamen de bello Romanis inferendo factum eſſe ſenatus conſultum, nullamque propterea iis interceſſiſſe cum Romanâ Republicâ inimicitiam. Gellius *libr. 7. cap. 3.*

11. Quin autem Principe permittente privatus quiſque militem conſcribere, & armis damni reparationem ab extraneis illati poſſit impetrare, res ipſas

ipſas interverſas, vel earum juſtum intercipiendo pretium, non eſt quod ambigamus. Adinventæ ſunt hâc de causâ multis hinc ſeculis pignerationes, vulgo repreſſalia, quas ſi quis belli præludia dixerit, ei non equidem refragabor: ſubjectis quippe læſis ab extranei Principis parentibus violenta conceditur ablatorum repetitio, quorum frequentibus admonitionibus, & amicis crebris interpellationibus, obtinere non potuerunt reſtitutionem; Andreas Gail. *lib. ab pignorib. obſervat.* 2. adeoque veluti pignoris jure quælibet alterius poteſtati ſubditorum bona detinent & occupant, in damni perpeſſi & illatæ compenſationem injuriæ: conſtans enim eſt opinio, pro privati cujuſpiam admiſſo turpi opes civium univerſas obligatas eſſe, ſi quidem rei criminis copiam habentes, eum tamen noxæ dare, vel meritis delictum pœnis expiare detrectent. Alberic Gentil. *lib.* 1. *c.* 21. Excogitatæ autem videntur hæ citra belli formam violentæ repetitiones, ne propter illatas forte privato contumelias & damna turbaretur illico Reipublicæ tranquillitas, neve neceſſum eſſet integram ſtatim ad arma concurrere gentem, ad vindicandam municipis ſui calamitatem. Quia tamen omnium fere temporum nos docuit experientia, illos, quibus ſumma commiſſa boni publici cura, ſubjectorum ſuorum adverſus indulta privatis pignerationis jura publicam ſuſcepiſſe defenſionem, inde pacem penitus everſam, & atrocia inter paulo ante ſocios, fæderatos, ac amicos odia fuiſſe graſſata, ideo non leviſſimâ quâque de cauſa vel minora propter incommoda, neutiquam in Reipublicæ vergentia damnum, concedi debere repreſſalia cenſuerunt rerum politicarum periti. Petrus Heigius *libr.* 1. *quæſt.* 12. *n.* 36. Ajala *de jure & offic. bell. libr.* 1. *cap.* 4. *n.* 10.

Verum prius omnes, quibus abſque vi publicâ ad ſarciendum damnum aut injuriæ cultionem compelli poſſe creduntur adverſarii, tentandas eſſe vias, atque ſummâ circumſpectione & accuratâ conſideratione cuncta perpendenda, non ſecus ac ſi de bello tractaretur externis inferendo. Duo itaque primaria ſunt in repreſſaliis requiſita; expreſſus ſcilicet illius conſenſus, qui ſuperiorem non agnoſcit, & ingens bonorum vel famæ jactura, ab externi Principiis procurata ſubjectis, qui, cum ſuos in officio continere poſſet, denegat tamen peregrinis adminiſtrare juſtitiam: quid enim, ſi prohibere nequeat? culpâ caret juxta vulgata jura. Præter quæ illud inſuper obſervandum, ne repreſſalia concedat quiſquam, niſi ſuis ſubjectis; non item extraneis; cum principis cujuſque interſit quidem, nullam ſubjectis ſuis læſionem aut injuriam à peregrinis inferri; nequaquam vero ad eum pertineat, ſi alieno in territorio peregrinis jus non ita, ut oportet, reddatur. Neoſtadius *Curiæ ſupr. deciſ.* 11. plura de hoc repreſſaliorum jure peti poſſunt ex Autoribus à me citatis, *in comment. ad Pand. tit. de judiciis num.* 30. *in fine.*

12. Quod ſi privatus eo dementiæ proceſſerit, ut abſque Principis conſenſu, motu proprio bellum intentaverit extraneis, Læſæ Majeſtatis reus erit *l.* 3. *ff. ad leg. Jul. Majeſtatis.* Quiſquis enim illud agit, unde neceſſario turbatæ pacis ſubſequitur effectus, hunc à perduellionis crimine nemo ſanus dixerit immunem. At quod quæſo majus eſſe poteſt ad diſſolvenda mutua fœdera & irritandas mentes incitamentum, quam ſi vim armatam exteris inferri contigerit? ex unius quippe ſcelere cæterorum bona violentæ ſtatim ſubjiciuntur executioni, omneſque, uti ſupra demonſtratum, ſi meritas in delin-

delinquentem pænas non decreverint, de damno per eum perpetrato tenentur. Præterquam quod exempli peſſimi res ſit; ſub ſpecioſo namque illo exteris movendi belli velamine quis non animadvertit, extremam quemque moliri poſſe Republicæ ruinam? quis non videt, coacto milite, conquiſitis impune armis omnique belli apparatu, quemque arreptâ occaſione in ipſum Principem, altâ pace regni ſecure moderantem habenas, arma poſſe convertere, eoque nihil minus exſpectante de ſede ſuâ deturbato, & ejectis optimis quibuſque patriæ civibus, ſummam per omne nefas ſibi vindicare Majeſtatem?

13. Nullus tamen dubito, quin & abſque prævio Principis mandato ſubjectus impune poſſit illatum ex improviſo repellere bellum, & intentatas à ſe ſuiſque arcere injurias: cum juris ſit minime controverſi, unumquemque tuto jus ſibi dicere & ab inimicorum audaciâ teliſque vitam defendere poſſe, non exſpectato ſuperioris conſenſu, ubi judicis nequit haberi copia, neque diuturnam res moram patitur *l.* 10. §. 16. *ff. quæ in fraud. creditorum.* Grotius *de jure belli libr.* 1. *cap.* 3. *n.* 2. Scleiffius *in comment. ad Mart. Laudenſem de bello. quæſt.* 2. *n.* 7. Eſt enim illo caſu inculpata ſui corporis tutela, quam omnibus leges omnes, omnia conceſſere jura *l.* 3. *ff. de juſtitiâ & jure.* nihil quippe magis eſt naturale, nihil magis æquum aut rationi conveniens, quam ſe ſuaque à rapacium quaſi vulturum vi defendere atque violentiis: ſcilicet, (ut inquit Cicero pro Milone (*hoc ratio doctis, & neceſſitas barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipſa præſcripſit, ut omnem ſemper vim, quacunque ope poſſent, à corpore, à capite, à vitâ ſuâ propulſarent.* Neque quicquam intereſſe cenſeo, juſtane de-

defenſio à ſingulis contra ſingulos inſtituatur, an à multitudine coacervatâ adverſus plures unum veluti corpus ac animum conſtituentes directa ſit: non enim numerus immutat juſtæ defenſionis ſubſtantiam; adeo ut, ſi ſingulorum defenſio licita ſit, & naturâ duce fiat atque magiſtrâ, eadem quoque ratio pro multis plurium ſimul arcentibus injuriam militatura ſit.

14. Bellum vero, (ut & aliquas ejus ſpecies enumerem) aliud juſtum eſt, aliud injuſtum. Juſtum eſſe cenſeo, quod ſuprema majeſtas legitimis de cauſis indicit populo ſuperiorem non agnoſcenti, Neque cuiquam dubium eſſe poteſt, juſtum jure gentium primitus eſſe introductum. §. 2. *juſti. de jure nat. gent. & civil. l. 5. ff. de juſtit & jure.* Poſtquam enim inter homines dominiorum eſſet introducta diſtinctio, & ſuis paterna rura quilibet bobus araret, neque amplius mortales in omnium rerum viverent communione pacatâ, evenit, ut una cum numero paulatim creſceret avaritia, & animos ipſorum invaderet amor ſceleratus habendi; unde non propriis contenti rebus, (licet hæ maximæ fuiſſent certiſſimæque divitiæ) alienis cœperunt inſidiari, atque eo tandem furioſa illos & alieni appetens adegit libido, ut ſuis confiſi viribus in reliquos imperium quærerent ac dominatum, & longâ pace ſecuris contra omnem juſtitiæ & æquitatis normam non opes tantum ac chariſſima quævis, ſed ipſam quoque libertatem & vitam conarentur eripere. Scite admodum ac vivis veluti coloribus hanc bellorum delineat originem Seneca *in Hippolyto. verſ.* 538.

Rupere fœdus, inquit, *impius lucri furor*,
Et ira præceps, quæque ſuccenſas agit

Libido

Libido mentes, venit imperii ſitis
Cruenta, factus præda majori minor;
Pro jure vires.

Hinc & Euripides *in Phœniſſ.* opum & imperii causâ bella jam olim moveri ſolita aſſeruit, Polynicen ita differentem fingens;

Memorare dictum liceat antiquum mihi,
Imperium opeſque prima ſunt mortalium
Cenſu, atque in animos maximas vires habent.
Horum ergo veni cum tot haſtatorum agmine.

Quapropter etiam aſſerere non erubuit primus ille Romanorum Imperator, regnandi causâ violari poſſe jura, in cæteris rebus pietatem colendam eſſe.

Ad defendendas igitur paternas opes, & propulſandas iniquas illas oppreſſiones & injuſtorum tirannidem, in unum congregata armatorum multitudo, ut juxta juris gentium præceptum omnem vim propelleret atque injuriam *l.* 3. *ff. de juſtit. & jure* hinc bellum.

15. Solet autem à doctoribus hæc plerunque ventilari controverſia, num & injuſtum bellum juris gentium dici poſſet? ſed nullius ego juris illud eſſe cenſeo; cumque jus omne denegetur injuſto bello, fruſtra quem id agere, ut ad aliquam juris ſpeciem reducat: jus namque eſt regula liciti & honeſti, & norma agendorum, quid fugiendum, quid ſequendum ſit docens, methodumque præſcribens, juxta quam dirigendæ ſint actiones humanæ. *l.* 1. *l. pen. ff. de juſtit. & jure.* p. m. Parens Paulus Voet *tractat. de Statutis eorumque concurſu cap.* 1. *ſect.* 1. *n.* 2. At vero nullus aſſeruerit, illud, quod injuſtum eſt, à jure mortalium mentibus ad imitandum proponi, adeoque nec injuſtum dici

 poteſt

poteſt jus ſuadere vel approbare bellum. Scilicet non à jure mala, non vitia originem duxere, ſed vitiis opponi ſolita remedia, tanquam pharmaca morbi vehementis impetum impedientia ac progreſſum. Juſtum adinventum eſt jure gentium bellum, ut medicina adverſus omni juri adverſantes iniquorum inſultus & invaſiones, ne tractu temporis nimium invaleſcerent.

16. Cum autem juſti & injuſti ſit oppoſita natura, ſic ut alterum ab altero excludi ac removeri neceſſe ſit, vim veritati intulerit, qui juſtum dixerit utrinque dari poſſe bellum. Alberic. Gentil. *de bello lib.* 1. *cap.* 6. Bocerus *de bello cap.* 1. *n.* 12. Ut ut aliquando probabiles adeo juſti produci poſſint utrinque diſſidii cauſæ, ut uter alteri in belli juſtitiâ præferendus ſit, merito dubites; dum quiſque ſua bella ſacra, ſanctam dicit bellandi cauſam, iniquos, impios, fœderum violatores hoſtes appellat, & integris ferme rationum plauſtris univerſo terrarum orbi belli juſtitiam demonſtrare nititur.

17. Et quamvis ejuſmodi quandoque facinora perpetrentur ab illis, qui juſtâ de causâ ſe ſuaque belli commiſerunt aleæ, quæ juſtitiæ penitus adverſantur & humanitati, ſic ut juſtam adverſus illa jus naturale tribuat defenſionem, & ex iniquis hoſtibus legitimos efficiat ſui corporis tutores; non tamen inde juſti natura belli mutabitur, neque ſingulares actus iniqui primæ quicquam detrahere poterunt amorum juſtitiæ. Interim quin & bellum poſſit utrinque ſine legitimâ geri causâ, non eſt quod dubitemus, non ſecus atque ſingulare poteſt à duobus ſuſcipi certamen, cujus juſtam neuter valet allegare rationem, veluti ſi ſignis infeſtis inter ſe concurrant duo populi ſolius gloriæ ducti cupidine.

18. Cæ-

18. Cæterum juſtas inferendi belli cauſas ad tria facile capita cogi poſſe puto; aut enim ad propulſandam vim ſuſcipitur, ſuique defenſionem: aut ad repetendas res quaſcunque ſummo ſcelere nobis ereptas: aut denique ad ulciſcendas injurias immerentibus illatas. Non tamen ob parvi momenti negotium in armis illico præſidium quærendum; ſummæ quippe ſtoliditatis eſſet propter exiguum forte diſpendium univerſam periculis exponere Rempublicam, & per dubios præliorum eventus ſuſpenſam ac ambiguam reddere civium ſecuritatem; ſtultum, leviſſimæ cujuſque controverſiæ Martem ſtarim velle diribitorem.

19. Operæ pretium autem hic me facturum confido, ſi nonnullas circa belli juſtitiam quæſtiones examinem, ex quarum definitione facili negotio cæterarum peti poterit deciſio. Ac primo quidem ſola gloriæ cupido juſtam nemini ſuppeditat armorum cauſam: non enim illa plurimorum, quos in bello perire contingit, eſt anteponenda vitæ ac ſaluti: famam affectare & illuſtrem ad poſteros ſui memoriam tranſmittere nulli prohibitum, verum licitis id viis efficiatur neceſſe eſt: etiam Heroſtratus ſibi nomen in omnia ſecula duraturum comparere voluit, Epheſinæ Dianæ comburendo templum; ſed condemnata fuit ab omnibus præpoſtera illa & execranda gloriæ captandæ methodus. Neminem occidendum eſſe divinæ voluere conſtitutiones, ſi non in extremâ neceſſitate, & velut inculpatæ tutelæ moderamine. At quis incorruptæ mentis gloriam dixerit eſſe neceſſitatem? ubi, ſi non depugnetur, nulla tamen inde ſupervenit infamia, nullum damnum, nulla injuria; ubi eandem cuncta poſt prælium formam retinent atque conditionem: nec victori quicquam acquiritur, ne-

que victo decreſcit: ſic ut ejuſmodi bellis delectari ſolitos Principes omnem odiſſe pacem, & nil niſi humanum ſitire ſanguinem jure ſuſpiceris, dum temerario auſu nihil profuturo in cædes & vulnera ruere feſtinant, non magis in adverſarios, quam in ſe ſuoſque crudeles. Præterquam quod infelices ſæpe, Deo ſic diſponente, ſint ad gloriæ certamina provocantium ſucceſſus. Amaſium contemplemur Judæorum Regem, qui cum per nuncios ab Iſraelitarum rege deſideraſſet ad vires oſtentandas & explorandam potentiam, ut in prælium deſcenderet; non victus tantum ſed & vivus in adverſari devenit poteſtatem. 2. *Reg. cap.* 14. *verſ.* 8.

20. Eodem modo nec, quod ad amplificandos imperii limites & ad divitias acquirendas infertur, juſtum dici poteſt bellum. Petr. Heig. *libr.* 1. *quæſt.* 12. *n.* 46. Licet horum gratiâ primum armata exſtiterint diſſidia. *Quæ tanta vos fert ira, cum una ſtirps idemque ſanguis ſitis*, (inquit Seneca controverſ. 9.) *vel quæ furiæ in mutuum ſanguinem egêre? quod tantum malum humano generi vel ſorte vel fato invectum? an ut convivia poculis exſtruantur, & tecta auro fulgeant, parricidium tanti fuit? magna enimvero & laudanda ſunt, propter quæ menſam & lacunaria ſua potius quam lucem innocentes intueri mâluerint. An ne quid ventri negetur libidinique, orbis ſervitium expetendum eſt?* deteſtati ſine fuerunt illud omni tempore optimi quique viri, & ex adverſo cenſuerunt, plus apud omnes bonos pietatis jura, quam imperium & opes valere debere; alias nec piratis, nec latronibus, juſta deficiet bellandi cauſa; non deerit illis ſpecioſum ſceleris ſui velamen, dum plura quam poſſident deſiderantes rapto victitare ſolent. Quoſcunque igitur non alia quam ſcelerata res alienas invadendi

cupido

cupido ad arma ſtimulaverit, eos meritò non Principes appellaveris, ſed prædones, quo titulo quondam decoratus fuit ille, cui non unus ſufficiebat orbis, Alexander.

Illic Pellæi proles verſana Philippi,
Felix prædo jacet.

Cecinit *Lucan. lib.* 10. Nec timuerunt eum Latronem vocare Scytharum legati; *tu*, inquiunt, *qui te gloriaris ad latrones perſequendos venire, omnium gentium, quas adiiſti, latro es Curt. libr.* 7. *cap.* 8. Diximus ſuperius ad belli juſtitiam requiri, ut ritè quiſque illud denunciet, primumque petat, quicquid ſibi debitum exiſtimat, antequam ad arma, ad ultimam convolet regum rationem. At quo colore quave fronte urbes & agros poſcet alienos, qui ſolo imperii augendi ſtudio bellare decrevit? quam obſecro debiti cauſam allegabit? quo titulo in extraneorum opes in poſſeſſiones ſibi jus vindicabit? juſtior fuit & obſervantior æqui Demetrius; occupato namque Syriæ regno, imperii quidem fines ampliare, & finitimis opes augere bellis ſtatuebat; expectabat tamen, donec honeſtum belli titulum, Orofernis ſcilicet in regnum reſtitutionem, nactus fuiſſet. *Juſtin. libr.* 35. *cap.* 1. Et certe quicunque legitimam ſtatuere vellet hanc belli cauſam, eum neceſſe foret omnem etiam inter homines evertere ſocietatem: tunc enim, quo quis eſt potentior, eo & in alios plus juris ſibi vindicare volet; in armis omnis conſiſtet juſtitia; æquius id habebitur, quod validus, tollentur imperii priſci limites; antiqui confundentur agrorum termini; actum denique de juris erit præceptis, quibus, ne proximum lædamus, ſed ſua tribuamus cuique jura, injungitur, eaque inter antiquatas erunt referenda leges.

21. In-

21. Injuſta quoque belli cauſa eſt religionis inter exteras gentes propagandæ & hæreſeos extirpandæ cupido; juſtiſſima vero illorum defenſio, qui maximas ad arcendos ejuſmodi adverſarios intendunt vires, Ajala *de jure & offic. bell. libr.* 1. *cap.* 2. *n.* 28. Bocerus *de bello cap.* 4. *n.* 12. 13. 18. Carpzov. *ad leg. reg. German. cap.* 4. *ſect.* 6. *n.* 13. Non enim læditur hæreſi ſocietas humana, non violatur illa, quæ homini cum homine debet intercedere communio: non fœdera, non pacem religionis interrumpit diverſitas; ut credibile magis ſit, Principes illos ſpecioſum ſolummodo, quo tegant avaritiam, quærere prætextum. Albericus Gentilis *de jure belli libr.* 1. *cap.* 9. Verum, dicet forte quiſpiam, hæreſi Dei læditur majeſtas, bellum ei indicitur, negliguntur atque vitupeperantur ejus mandata. At, inquam, crimen illud iis puniendum incumbit, quorum ſunt ſubjecti, non extraneis Principibus, illis quippe extra territorium jus dicentibus impune non paretur *l.* 20. *ff. de juriſdictione.* Quod ſi & ipſos Principes eveniat ſceleris eſſe participes, in illos ſibi ſoli Deus vindictam reſervavit, quiſquis illum contemſerit non impune feret, nec ultricem ejus evitabit dextram. Præterquam quod verberibus & cruciatibus ad fidem nemo compelli poſſit; eſt namque donum Dei, quod non niſi ſpiritualibus armis & precibus aſſiduis impetrari poteſt: ut fruſtra quis humano ſanguine propagatam cupiat religionem: longe releganda vis omnis atque violentia, & errabimus toto cælo, ſi quid credimus autoritate Regiâ, poteſtatis plenitudine, minis, ſuppliciis, armis promoveri negotium Chriſti: adhibendus potius Moſes & Prophetæ; ſacris inſtruendi literis, erroris inde convincendi ſunt infideles, &, ut inquit Theod. Graſwinkel *de prælud. Juſtitiæ*

&

& *juris quæſt.* 4. *ſect.* 4. ſi promovendus ſit Dei cultus, per talia promoveri debet principia, per quæ eundem glorioſiſſimus Apoſtolorum chorus, martyrum candidatus promovit exercitus.

22. Verum quid dicendum, ſi religionis ergo ſubjectis à Principe vis illata ſit? nefas eſſe cenſeo parentem eâ de causâ in ſuperiores inſurgere: quid enim ſi Princeps religionem mutans idem ſuis imperet ſubjectis, non ideo decidit imperii jure, neque quicquam ejus autoritati fidei detrahet immutatio, niſi quod huic mandato, quod antiqui & veri cultus divini injungit omiſſionem, non teneantur obtemperare. Magna quidem militat pro Principe ratio; verum illa ſumma eſt quæ pro religione facit *l.* 43. *ff. de religioſ. & ſumt. fun.* cum Deo magis quam hominibus oporteat obedire *Act. Apoſt. cap.* 4. *verſ.* 19. & *cap.* 5. *verſ.* 29. Atque ita ad edictum Regis Nabuchodonoſaris Sadrah, Meſah, & Abednego divino cultu noluerunt adorare ſupplices auream ejus mandato ſtatuam erectam *Daniel cap.* 3. Neque Daniel obtemperavit iſti Darii Regis conſtitutioni, quâ, ne quis intra dies triginta quid à quopiam vel Deo vel homine præterquam à Rege peteret, ſancitum erat, verum nihilominus Iſraelis Deum ferventibus quotidie precibus venerabatur *Daniel cap.* 6. Et hoc nixa fundamento Antigone apud Sophoclem ſe Creontis oppoſuit edicto.

Non ſummus, inquit, *hæc mihi imperat Jupiter,*
Nec juſtitia, deos qua habitat apud inferos,
Inter homines qui jura ſanxerunt pia,
Nec juſſa tanti ponderis tua eſtimo,
Mortalis ut perennia deorum queas
Temerare jura inſculpta mentibus hominum.

Sophocl.

Sophocl. in Antigon. ſic ut Dei juſſa Principis poſtponentes edictis & proprio vim inferant animo & debitam ſupremo Regum domino detrectent obedientiam : cæteris in rebus ad obſervandam principis ſui majeſtatem penitus adſtricti ſunt : monuit nos gentium doctor illo tempore, quo conſtat omnes vel paganos vel Judæos fuiſſe populorum præfectos, monuit inquam parendum eſſe magiſtratibus non tantum pœnæ formidine, ſed & quia juxta conſcientiam ad obedientiam ſumus obligati. *epiſt. ad Roman. cap.* 13. exemplo ſuo illud demonſtrarunt innumeri martyres, quævis potius optantes ſufferre mala, uſque dum frigida mors per extrema cruciatuum, quicquid ipſis vitalis ſupererat, haurirer, quam ut atrocibus ſeſe principis opponerent edictis.

23. Quid ſi tamen libera quæ civitas aut provincia eâ ſeſe conditione Principis extranei ſummiſerit imperio, ut liberum retineret religionis arbitrium, & intacta manerent circa Dei cultum jura? Sane, cum & Princeps ex contractu cum ſubjectis celebrato jure gentium teneatur, & pacta ſervari juſtum ſit & æquitati conveniens; jure quoque in libertatem vindicare ſeſe poterunt parentes, ſi fidem datam rumpere Princeps ſuſtinuerit, neque quicquam penſi habuerit interpoſitas violare conditiones : ſi enim penitius ejuſmodi pactorum ſcrutemur naturam, quibus alterius imperio ſeſe ſubjicientes nonnulla ſibi jura reſervant, animadvertemus, illos eorum contemplatione ſuam in extraneum Principem non tranſtuliſſe majeſtatem, ſed in iis illam illibatam per talia pacta conſervare voluiſſe. Albericus Gentil. *de jure bell. libr.* 1. *cap.* 11. In illis itaque, quos exceperunt, caſibus, non ut inferiores, ſed ut ſummi potius ſunt æſtimandi

magiſtratus, penes quos ſumma reſidet majeſtas; at vero dubium nemini eſſe poteſt, majeſtatem habentibus eſſe quovis jure licitum adverſus inſidiatores & hoſtes ad illam defendendam arma capeſſere. Grotius *de jure belli ac pacis libr.* 3. *cap.* 3. *n.* 4. quid ni ergo liceret ipſis etiam illam, quam ſibi reſervarunt, vindicare majeſtatis partem adverſus ejuſmodi Principem, qui, cum in multis ejus ſeſe jugo ſummiſiſſent, iis haud contentus plenum conatur in illos exercere imperium, quamque pro parte acquiſivit, in univerſum ſibi rapere majeſtatem.

24. Quæſitum etiam, num adverſus Principem ſubjectis arma movere de jure conceſſum ſit, ſi pro legitimo imperio meram in illos exerceat tyrannidem? per tyrannum hic intelligo talem exercitio, qui neque finem neque modum facit crudeliſſimorum in immerentes ſuppliciorum, innoxios indictâ causâ ſubjectos condemnans, & prout animus tulerit, quoſdam vitâ, bonis alios, nonnullos famâ & exiſtimatione per fas nefaſque privans; non civium, non patriæ pater, ſed hoſtis potius acerrimus, illud omne ſibi licere putans, quod nec à ſceleſtiſſimis credas abſque horrore poſſe perpetrari. Quod ſi itaque adverſus ejuſmodi tyrannum propriâ privatus quiſpiam autoritate bellum ſuſceperit, ut ad mitius imperium & mores æquiores adigat imperantem; verius nihilominus eſſe puto, illum in perduellionis incidere crimen: eſt enim penes illum ſumma majeſtas, ut penes electum rite ac more majorum conſtitutum legitime regni Principem. Et quamvis iis, quibus imperium adeptus eſt, parere neglexerit conditionibus, & flocci fecerit fundamentales regni violare leges, quibus velut nexu ac copulâ Principi ſubjectos cohærere conſtat; non

non tamen illico jura principatus amiſiſſi dici poteſt; difficillimi quippe negotii res eſt de tirannide judicare, nec privati cujuſquam id arbitrio committendum: ſic enim miſera nimium foret imperantis conditio; ſic unus atque alter malâ ſuâ fortunâ non æqua ſorte ſibi putans Principis imperia, illico clamaret, in tyrannidem degeneraſſe principatum, intolerabiles eſſe Principis injurias, in eoque tollendo, velut in atrociſſimâ tirannide extirpanda, ſeditioſe moveretur. Alii benigniorem eum experti magiſque benevolum, ſummis ejus virtutes honoribus proſequerentur, & maximis extollerent ubique laudum præconiis: atque ita infelix, ac ſummopere Principi perniciosa fæcunditate ſuâ, diſſeminaretur diſcordiarum planta, dum nuſquam deficiunt novarum rerum libidine prurientes animi, quidvis in turbandi occaſionem ac cauſam trahentes, & impuri paſſim reperiuntur artifices, quibus haud difficile foret vel ex dulciſſimis favis quaſvis elicere virulentias; dum neque optimo Principi de omnibus de ſingulis bene mereri cupienti ſui deſunt æmuli, ſui deſunt invidi: adeo ut ne Titus quidem Flavius Veſpaſianus Auguſtus, deliciæ generis humani, odio ac vituperatione publicâ carere potuerit. Sueton. *in ejus vitâ cap.* 1. Hinc eſt, quod Salvatorem noſtrum vidimus, cum indigna multa atque injuſta pateretur à populi Principibus illata, æquo tamen illa animo tuliſſe, nec autoritate privatâ reſiſtere voluiſſe ipſorum tirannidi. Petrum quin etiam educto gladio ferientem acriter reprehendiſſe, ut in re verſantem prohibitâ *Matthæi cap.* 26. *verſ.* 52.

Ut igitur conſtet omnibus, imperii jure decidiſſe tyrannum, univerſi populi, vel eorum qui vice ejus conſuli conſuevere, majeſtatemque realem repræſentant, revocationem atque declarationem antece-

antecedere neceſſe eſt. Sicut enim donatio non ſit ipſo jure nulla, ſi quidem donationi conditionibus adjectis haud paruiſſe contigerit donatarium; ſed revocanda potius & per legitimam judicis reſcindenda ſententiam, priuſquam donatarum rerum dominium poſſit ad priſtimum redire poſſeſſorem, *l. fin. C. de revocand. donat.* Zoeſ. *in comment. ad pandect. de donationibus. n.* 99. Ita nec imperii conceſſio, quandam præ ſe ferens donationis ſpeciem, cui jurejurando confirmata ſolent utrinque interponi pacta atque conditiones, ſubjectos ad impigre parendum, ad juſte imperandum Principem obſtringentes, non ante cenſeri debet evanuiſſe, quam per revocationem populi totius appareat abunde voluntas. Quod ſi deinde priſtinam regno privatus Princeps non Princeps, ſolâ jam purpurâ & honoris antiquati veſtibus ſpectabilis, recuperare tentet armorum præſidio majeſtaten, non ſecus atque Reipublicæ hoſtem populus repellere, belloque libertatem defendere juſtiſſime poterit, uti quondam adverſus ejectam Tarquiniorum familiam fecere Romani. Livius *libr.*

Cæterum in ſacris literis hoc modo ereptum tiranno legimus imperium: cum enim Rehabeam Iſraelitarum Rex juniorum conſilia ſecutus graviſſimis populum vexaret oneribus, & ſe ſcorpionibus ſubjectos excepturum palam pronunciaſſet, non tamen eâ de causâ quilibet in eum irruebat, velut in tyrannum; ſed imperio decidiſſe publicis univerſus populus palam teſtabatur clamoribus; *quæ nobis portio*, inquiebant, *in Davide? neque hæreditas eſt nobis in filio Iſai: vade in Tabernacula tua ô Iſrael.* 1. *Regum cap.* 12. Pari ratione, licet urbis incendum & alia horrenda in cives in exteros ſcelera Nero perpetraſſet, non ante tamen ei Imperii

perii ereptæ habenæ, quam Reipublicæ hoſtis à Senatu Romano judicatus eſſet. Sueton. *in Nerone cap.* 49. Et quamvis in Belgium miſſus ab Hiſpaniarum Rege Dux Albanorum plus quam belluinâ ſæviret in ſubjectos atrocitate, ſic ut memoriæ proditum ſit, lentis quoſdam carbonibus uſtos, candentibus alios forcipibus enecatos, in conſpectu maritorum violatas uxores, ſtupratas parentibus inſpectantibus filias virgines, embryones divulſos ex utero materno, in patibulum ſublata jam dudum quietè defunctorum cadavera, & innumera alia, quæ animus meminiſſe horret, quæque paſſim loquuntur annales & hiſtoriæ: uſque adeo tamen contra Regem majores arma non ſumſerunt, ut illius nomine adverſus Albanum alioſque, ut in ſummum affectantes imperium, bella gesſerint; donec tandem unanimi Patrum conſcriptorum ſuffragio fæderati Belgii majeſtate decidiſſe declaratus fuit Hiſpanus edicto *anno* 1581. 26. *Julii.*

Neque quemquam hanc ejurandi Principis tyranni viam improbatutum puto, niſi qui ſubjectis plus quam ſervilem cenſuerit imponendam eſſe conditionem: nam ne ipſis quidem ſervis, qui jure civili pro nullis habebantur, olim denegatum fuit ad evitandam dominorum ſævitiam ad Principum confugere ſtatuas, & de dominis iniquis querelas inſtituere, quo nimis atroci ſemet illorum ſubducerent imperio. §. *fin inſtit. de his qui ſui vel alieni juris ſunt.* Si quis legibus ſolutum dixerit eſſe Principem; proinde nec ſubjectis teneri vitæ reddere rationem, omnia Regi juſta & honeſta eſſe, & quicquid libuerit, licere, is ſecum reputet parumper, obſecro, auream illam Antigoni ſententiam, qui, aſſerente aulico quopiam paraſito omnia licita Regibus eſſe & honeſta, *per Jovem*, inquit, *Regibus*

bus barbarorum; ſed nobis ſola honeſta ſunt honeſta. Plutarch. *in Apopth.* Et quamvis Ulpianus Principem dicat eſſe legibus ſolutum, ipſa tamen neſcia vinci veritas illuſtrem illam ac cuivis obviam extorſit Imperatoribus confeſſionem *in l.* 4. *C. de legibus; digna*, aiunt, *vox eſt majeſtate regnantis, legibus alligatum Principem profiteri; adeo de autoritate juris noſtra pendet autoritas, & reverà majus imperio eſt ſubmittere legibus principatum.* Neque dubium eſt, naturalibus, gentium, fundamentalibus & multis civilibus imperantem legibus ligatum eſſe, dum id recta nobis dictat ratio, ac vita ſuâ & moribus humaniores quique Principes monſtrarunt. Ut id latè probat p. m. patens Paulus Voet *tract. de juriſprudentia ſacra cap.* 1. *ſect.* 2. & ex jure civili adſtruxi *in comment. ad pand. tit. de legibus num.* 15.

25. Juſta porro belli cauſa eſt legatorum violatio: illi namque velut publicæ perſonæ, Principis ac Reipublicæ vivam ac ſpirantem repræſentantes imaginem, ab omni tempore etiam inter efferatas aut barbaras gentes ſacroſancti fuerunt atque inviolabiles *l.* 8. *ff. de rer. diviſione.* Quo reſpexiſſe credo Germanicum, cum Pannonicas in ſeditionem ruentes objurgans legiones, illas *ſacra legationis & fas gentium rupiſſe* diceret. Tacit. *Annal. lib.* 1. *c.* 42. Hos quiſquis contumeliis aſperis impetierit, ipſi Reipublicæ, ipſi Principi, cujus vicem ſuſtinent, injuriam cenſetur intuliſſe. At vero illum, penes quem reſidet majeſtas, ſi per extraneæ nationis homines injuriis affectus fuerit, armis admiſſum poſſe vindicare crimen, non eſt quod dubitemus, ſi legitimis ac ſufficientibus ipſi non ſatisfiat modis ab illâ, cujus incolæ nefarium ſcelus admiſere, Republicâ. Quare, ut evitentur hæ bellorum calamitates, dedendum Pomponius hoſtibus dicit eum

qui legatos pulſaſſet *l. fin. ff. de legationibus* ne Reipublicæ clavo aſſidentes ejuſmodi videantur approbare vel laudare ſubjectorum facinora. Plurima bellorum exempla nobis exhibent hiſtoriarum ſcriptores, quorum ſi fontem inveſtigemus atque originem, violata legatorum jura primam illis animadvertemus præbuiſſe cauſam. Cum miſſis ad ſe Davidis nunciis ad lugendum parentis obitum Hanon Ammonitarum Rex, veſtes reſcidiſſet barbamque penitus raſiſſet, gravia quoque ſibi ſenſit Davidis arma. 2. *Samuel. cap.* 10. Propter interemtos à Macedonibus legatos, validum Megabaſus adverſus illos miſit exercitum. Juſtin. *lib.* 7. *cap.* 3. Per obſcænam turpemque dictu contumeliam violata Romanorum legatio primam Tarentini belli dedit originem. Florus *lib.* 1. *cap.* 18. Acerrimo etiam propter illatam legatis necem Romani cum Fidenatibus prælio depugnavere. Diod. Sicul. *hiſt. lib.* 12. Pari de cauſâ motum à Romanis in Illyrios bellum, & ſtrictis in gentis illius Principes ſecuribus, legatorum manibus litatum. Florus *lib.* 2. *cap.* 5. Cumque Tyrii miſſos ad ſe Caduceatores indignâ nece peremtos in altum præcipitaſſent, in eam exarſit iram Alexander, quanquam ſatis mitis alias ingenii Princeps, ut ab urbis obſidione non ante deſiſteret, quam undique ſuperba tecta conſumſiſſet incendi ſtrages, plerique ferro periiſſent urbis incolæ, ac duo millia virorum, in quibus occidendi rabies defecerat, juxta littus crucibus affixa eſſent. Curt. *lib.* 4. *cap.* 2. 3. 4.

26. Cæterum ſi ſubſecuto fœdere ſublata ſemel fuerit ac ſopita juſta belli cauſa, aut tranſactum ſit de negotio, quod armorum præbere forte potuiſſet anſam, liberum cuiquam non amplius eſt ex obſoletâ illâ atque antiquitatâ cauſâ de novo bellandi

quæ-

quærere occaſionem. Verum quid ſi dolo quis ad feriendum fœdus fuerit inductus, Joſua cum Gibeonitis fraude circumventus pacem iniverit, num, ubi ſe deceptum reſciverit, ex iiſdem illis, quæ ante fœdus ſufficientes erant, cauſis bellum decipientibus inferre poſſit videamus. Nihil in contrahendo magis eſſe neceſſarium quam conſenſum, notius eſt quam ut probatione egeat: aſt ubi dolus eſt, ibi omnis exulat conſenſus, omnis ibi ceſſat conventio ac paciſcendi voluntas, ſic ut & contractus, & tranſactiones, quibus cauſam dolus dederit, aut nullas eſſe aut reſcindendas utique, ac doli infringendas exceptione jura voluerint *l.* 7. *ff. de dolo l.* 16. §. 1. *ff. de minoribus l.* 3. §. *fin. ff. pro ſocio l.* 36. *ff. de verb. obligat.* & nullum ſit jusjurandum cui dolus cauſam dedit. Zoeſ. *ad tit. ff. de jurejur. n.* 73. Unde mihi concludendi fiducia; Joſuam jure ſummo Gibeonitas hoſtium loco habere potuiſſe, non obſtante fœderis atque juramento vinculo. Et ſi penitius intueamur facti ſpeciem, non in univerſum pacis illum conditionibus atque juramento ſtetiſſe, percipiemus: cum enim jurisjurandi vis atque efficacia potiſſimum ex jurantium mente ac verbis æſtimetur, nec probabile ſit, Iſraëlitas, cum fœdus ferirent, deſtinaſſe Gibeonitas ad duriſſima ligni cædendi & aquæ hauriendæ ſervitia, verum non ſecus, ac quaſvis alias longinquas gentes, illos ſolummodo tributarios efficere voluiſſe, evidens quoque ſit, ad dolum in deditis puniendum illos à jurisjurandi receſſiſſe mente & intentione. Albericus Gentil. *de jure belli lib.* 2. *c.* 5. & *lib.* 3. *cap.* 19. Neque me movent in contrarium allata à Roberto Sanderſono argumenta, *tractat. de juramento præfect.* 4. *ſect.* 12. quibus evincere ſe poſſe putat, Joſuam ritè ſanctèque fœdus illud obſervare

debuiſſe. Primum namque quod attinet, Deum ſcilicet egregiam Joſuæ conceſſiſſe victoriam pro Gibeonitis contra conjuratos in eorum perniciem Reges decertanti; non inde fœderis inferri poteſt juſtitia: neque enim propter Gibeonitas fuit impetratus ille de Regibus triumphus; ſed potius propter Abrahamo factam à Deo promiſſionem de dandâ ipſius poſteritati terrâ Cananiticâ, quodque dudum ante pactum fœdus iidem illi Reges eſſent devota capita. Non etiam majores habet alterum ſtringendi vires; violatum nempe per Saulum fœdus poſt centum & amplius annos triennii fame & ſeptem ex liberis ejus expiatum fuiſſe publico ſuſpendio. Saulus namque fœderi, cui dolus cauſam dederat, non erat alligatus; ſed poſteaquam dolum Joſua noviſſet, novâ quaſi voluntate primum illud innovavit fœdus, additis de ligno cædendo & aquâ hauriendâ conditionibus, priori non inſertis *Joſuæ cap. 9. verſ.* 33. 35. cumque jam omnis ab illo longe dolus abeſſet (ſciens enim prudenſque nemo fallitur,) etiam procul dubio juſtum ac legitimum debuit haberi, & ex eo demum Saulus ad fidem Gibeonitis ſervandam fuit obligatus. Nec quicquam juvat, quod optimates juraſſe ſe per Deum, ideoque nec illos occidere poſſe deprædicent; in ſummâ enim populi conſternatione ac tumultu non minus incogitanter in hæc verba eruperunt, non conſulentes oraculum divinum, qua eodem non requiſito fœdus pepigerant. Una reſtat diſſolvenda à Grotio in medium allata difficultas, quâ Joſuæ jusjurandum ad obligandum contendit efficax fuiſſe *lib. 2. de jure belli, cap.* 13. *n.* 4. puta, quia licet non fuiſſet deceptus Iſraëliticus populus, fœdus tamen cum Gibeonitis de vitâ conſervandâ feriiſſet. Rationis reddit rationem, quia lex divina, quæ populos

los illos internecioni devovebat, erat intelligenda, ſi moniti ſtatim imperata non feciſſent, juxta *Deuteron.* 20. *verſ.* 10. At ignoſcant hic mihi in viri docti verba jurare ſoliti, ſi nullius eſſe momenti dixerim hanc ipſius rationem: non enim locus ille *Deuteron.* 20. *verſ.* 10. de devotis & impiis illis agit gentibus; de cæteris, quos extra terram Canaan commorari compertum foret, belli jura Deus ibi præſcribit; verſu quippe 15. ait; *ita facietis omnibus urbibus quæ longe à vobis diſſitæ ſunt, quæ non ſunt è civitatibus harum gentium.* Verſu vero 16. demum de devotarum gentium civitatibus incipit mandata dare; *ſed in urbibus* inquit *harum gentium, quas dominus Deus veſter dedit vobis, nemini reſpiranti vitam relinquetis verùm omnes perdetis, Hitoæos &c.* Inter quas etiam numeratos fuiſſe Gibeonitas patet ex *verſ.* 16. *junct. Joſuæ cap.* 11. *verſ.* 19. Quid quod diſertis Deus verbis vetuerit, ne cum illis gentibus aut fictitiis eorum diis fœdera ferirent. *Exod.* 23. *verſ.* 32. Cujus & edicti non immemores Iſraëlitæ, Gibeonitis pacem ac fœdus petentibus prudenter reſpondebant; *fortè in medio noſtrûm habitatis: quo pacto igitur fœdus vobiſcum ferire poſſemus?*

27. Quod ſi ruptis fœderibus, violatâ pace, bellum fuerit à Principe ſuſceptum, legitimam ſubeſſe cauſam eo impellentem præſumi debet, utique à ſubjectis. Si tamen inſontibus illud & immerentibus intulerit, ſic ut ne fingi quidem queat aliqua probabilis armorum ratio, & merediano ſole clarius unicuique de illius conſtet injuſtitiâ; ad operam ſuam in iniquiſſimo bello Principi navandam non obligatos eſſe crediderim ſubjectos. *Arg. l.* 21. §. 1. *ff. de actione rer. amot.* Si enim ſervus, animata domini poſſeſſio, dicto ejus impiis in facino-

 ribus

ribus audiens eſſe non teneatur, (qui ſenſus *d. l.* 21.) multo minus imperantibus opem ferre parentes neceſſe eſt in remoto prorſus à juſtitia & æquitate negotio: idem quippe, ſi non major, inter dominum & ſervum, qui inter civem & magiſtratum, nexus eſt atque juris vinculum. Quid quod ad rem turpem & injuſtam nulla per conventionem produci poſſit obligatio, neque quiſquam juris autoritate conſtringi queat ad peccandum; adeo ut ſi vel maximè ad iniqua in aliam gentem arma movenda ſuam opem atque auxilium ſubjecti promiſiſſent, jure tamen merito poſſent à temerariis reſilire promiſſis. Roſenthal *de Feudis cap.* 8. *concluſ.* 20. *n.* 1. 2.

28. Porro non uno modo Reipublicæ, pro cujus noctes dieſque invigilant incolumitate, prodeſſe, & adverſariis inferre damnum ſatagunt copiarum duces: namque vel armatâ manu & aperto Marte belli ſolent aleam tentare, vel hoſtilem fraudis adminiculo ſubvertere potentiam. Fraus autem alia licita eſt, alia illicita; licitam appello, quæ fit per ſtratagemata bellica propriè ſic dicta; dolum bonum vocat Juriſconſultus in *l.* 1. §. 3. *ff. de dolo* & ſimpliciter dolum Tacitus *Annal. lib.* 12. *cap.* 32. *non auſis*, inquit *aciem hoſtibus*, *vel ſi ex occulto carpere agmen tentarent*, *punito dolo*. Eumque jure permiſſum eſſe docet Auguſtinus *cauſ.* 23. *quæſt.* 2. *Cum bellum ſuſceperit*, inquit, *utrum apertâ pugnâ*, *utrum inſidiis vincas*, *nihil ad juſtitiam intereſt.* Multis aliis id more ſuo Grotius confirmat veterum ſententiis *de jure belli ac pacis lib.* 3. *cap.* 1. *n.* 6. Et certè, ſi naturaliter eſſe licitum contrahentibus in pretio ſe mutuo circumvenire dixerit Pomponius in *l.* 16. §. 4. *ff. de minoribus*; ſi permiſſum ſit inter amicos aliqualem adhibere lucri gratiâ calliditatem:

quo-

quonam obſecro jure prohibitum erit inter hoſtes uti quibuſdam belli artibus, & ingenii ſolertiâ vel adverſariorum prudenter evitare furores, vel ipſorum negligentiâ ſponte ſemet offerentem arripere rei proſperè gerendæ occaſionem. Sic incolis Haji Joſuam ſtruxiſſe vidimus inſidias, *Joſuæ cap.* 8. *verſ.* 3. *& ſeqq.* Sic timorem fugamque ſimularunt Iſraëlitæ, Gibhæ cives extra vallum cupientes elicere, quo poſſent tutius in inſidiis collocati nudatam propugnatoribus occupare civitatem. *Judic. cap.* 20. *verſ.* 29. *& ſeqq.* & in excogitandis ac adhibendis piis hiſce fraudibus non minimam militaris peritiæ conſiſtere partem, felicium inde ſecutorum per omne tempus eventuum frequentia docuit.

29. Et quamvis in gloriam, ac minus illuſtrem nonnulli judicent eſſe victoriam, in qua non aperto Marte vel ſolis armorum viribus adverſarii fugâ ſalutem ſibi quærere fuerint compulſi: laude tamen illum majore dignum cenſeo, qui callidis commentis hoſtilem ſuperare noverit exercitum, & aſtu in poteſtatem redigere munita naturâ vel arte loca. Dum enim hiſce belli fraudibus contenditur acerrimè, multùm ferro parcitur & hoſtili ſanguini, quod ſuadet uſque naturalis æquitas, ſuadet illa communis inter homines cognatio: ſociorum atque militum ſaluti conſulitur & incolumitati, dum periculoſis hoſtilium tormentorum ictibus exponere ſeſe non coguntur; ſed brevi paucorum periculo duri ac diuturni redimuntur exercitus univerſi labores atque calamitates, & incruenta ſine luctu victoria paratur: tempori conſulitur, dum unius fortè diei noctiſve ſpatio, perficitur atque ſuperatur, quod annalem alias aut longiorem requireret obſidionem; publico denique conſulitur ærario, dum paucorum impendio præmiorum, quæ viris

fortiſſimis pro Republica in utrumque paratis erogari ſolent, ab innumeris liberatur expendendis in obſidiones & alia ſumptibus. Quod ſi nobiliores ſint animi quam corporis actiones, ſi perfectiores & illuſtriores à mente quam à manu prodeuntes operationes, dubium nulli amplius eſſe poteſt, belli ſtratagemata longè viribus apertis eſſe præponenda: illis enim hoſtilem dum infringunt exercitum, magis ſeſe præſtant homines, præcipuam humanæ naturæ partem bellicis occupatam cupientes negotiis; cum ex adverſo belluinum magis quam humanum liceat in his obſervare præliandi morem, qui indomitæ fidentes dextræ, non ſecus ac feroces leones, ſine aſtu ſine ſolertia ſolis viribus in mutuam ruunt utrinque perniciem.

30. Præter hæc licita & omni jure conceſſa belli furta, eſt & alius in hoſtes dolus, qui cum fœderum, promiſſorum, jurisjurandi violatione conjunctus eſt. Ejus exemplum memorabile nobis exhibet Reidanus *hiſtor. lib.* 1. in Ludovico Requeſenio Exercitus Hiſpanici ſummo Præfecto: is namque Granatenſes Mauros induciarum fiduciâ fretos ex improviſo concubiâ nocte per centuriones aliquot opprimi curavit: cumque rupta Mauri quærerentur fœdera; ipſe velut omnium ignarus eoſdem illos, quibus id in mandatis ipſe dederat, centuriones ad capitale ſtatim rapi ſupplicium juſſit, commiſſam perfidiam novo ac crudeli ſcelere diluturus. Sic quondam Cleomenem, licet paulò ſubtilius, adverſarios circumveniſſe legimus: cum enim ſeptem dierum inducias cum hoſte pepigiſſet, tertiâ nocte jurisjurandi fide ſecuros armis oppugnavit, diebus non eſſe noctes comprehenſas inquiens. Plutarch. *in apopht.* Plura refert Alberic. Gentil. *lib.* 2. *cap.* 4. Ajala *de jure & offic. belli lib.*

lib. 1. *cap.* 6. *n.* 4. 21. Exiſtimarunt fortè duces illi cum Lyſandro, *pueros quidem talis decipere oportere, ſed viros jurejurando.* teſte Plutarch. *in Apophth.* Interim fraudes ejuſmodi moratiorum ferè gentium execrata eſt conſuetudo, & deteſtandum cenſuit eſſe ſcelus, neglectâ jurisjurandi religione, violatâ fide quemquam decepiſſe, vel inſidiis oppreſſiſſe deceptum. Bocerus *de bello cap.* 13. *n.* 18. *ibique DD. citati.* Grave ſcilicet eſt fidem fallere *l.* 1. *ff. de conſtituta pecun.* Durum & injuſtum adverſus ſua pacta vel promiſſiones venire *l.* 19. *C. de pactis.* Iis quippe conſervatur atque fovetur humana ſocietas; iis abuti ſi jure permiſſum foret, & impunitum, omne ſtatim turbaretur inter homines commercium, periret omnis fœderum, omnis evaneſceret conventionum uſus, nec ullum amplius ſacramenti præſtiti vinculum conſtringere poſſet.

31. Cum autem illicitus ſit omnis conjunctus cum fidei violatione dolus, quæſitum, num adverſus hoſtes uti jure liceat proditorum operâ? negandum illud fortè quiſpiam exiſtimet: cum manifeſtum ſit, in proditione ruptam concurrere fidem; juſtè proindè ac generosè feciſſe Camillum, cum perfidum in urbem remitteret unà cum impuberibus Faliſcorum pædagogum, eos in Romanorum caſtra ducentem, nec ab ejuſmodi ſibi temperaret elogio; *eos tu, quantum in te fuit novo ſcelere viciſti. Ego Romanis artibus, virtute, opere, armis ſicuti Vejos vincam.* Livius *lib.* 5. Rectius tamen Grotium diſtinguere cenſeo *lib.* 3. *de jure belli ac pacis cap.* 1. *n.* 21. 22. Videndum inquit, num quis ſubjectum ad violandam impellat Principi ſuo datam fidem; num verò ſponte ſeſe quis obtulerit. Neminem dicit ad illicitum ſtimulari debere negotium, adeoque nec ad proditionem; cum non minùs

nùs ille delinquat, qui ad enorme crimen aliquem commoverit, quam ſi illud ipſe commiſiſſet, ad quod perpetrandum inſtigaſſet alium. At oblato ſpontè, non experito proditoris auxilio, commodam inde captare proſperi ſucceſſus occaſionem non divinis legibus inhibitum, non improbatum populorum conſuetudine: quiſquis enim abſque præviis ad prodendum ſtimulis, ſolummodò perduellis è ſcelere ſibi commodum quærit, nec inde ſubſecutam adverſariis inferendi damni præterire ſinit occaſionem, is non proditionis autor eſt, non laudat illius, qui patriæ, qui Principis ſui ſeſe hoſtem profitetur, non approbat perfidiam. Atque ita optimò jure captivos Camillus detinere potuiſſet Faliſcorum pueros, quos nullo ſuo ſcelere, nullis artibus adhibitis, in caſtris reperiſſet. Non eſſe confiteor facienda mala, ut inde quid boni proſilire poſſet; quominùs tamen ſine bono, artibus licet ſiniſtris per alium ſine facto meo comparato, velut viâ ad ulteriorem finem ducente, uti mihi liceat, nullâ ratione prohibitum, nulloque jure negatum puto, non magis, quam ſi prudenti quis ac ſtrenuo duci nefas eſſe duceret, tumultu plenam & ſeditione diviſam inimicorum oppugnare civitatem, vel debilitatâ militum diſſenſione ſuperare caſtra; ne crimen illorum in rei feliciter gerendæ occaſionem videretur arripuiſſe.

32. Vidimus hactenus, quæ licita, quæ jure prohibita ſit in armis fallacia: ardua ſatis una diſcutienda ſupereſt controverſia, utrum ad pias & juſtas, an ad impias potius fraudes referendus ſit dolus, non fœderis quidem vel datæ fidei violationem, mendacium tamen, non ſecus atque comitem ac pediſſequam, conjunctum habens, veluti ſi ſciens volens ejuſmodi quis verba protulerit, quæ nullam aliam

aliam ex uſu communi recipere queunt interpretationem, quam quæ fuerit directo veritati contraria, quo poſſet irritos ac fruſtraneos hoſtium efficere conatus? & nullo jure vetitum ſtatuunt ejuſmodi falſiloquium Grotius *de jure belli ac pac. lib.* 3. *c.* 1. *n.*17. & Alberic. Gentilis *de jure belli lib.* 2. *cap.* 5. atque ita paſſim obſervatum probant, adductis in medium & virorum pientiſſimorum autoritatibus, & plurimis illuſtrium belli ducum exemplis. Verum ſi cuncta libeat æquâ trutinare lance, & poſtpoſitis rationi factis accuratius perpendere, non quid Romæ fiat, ſed quid fieri juſtum ſit & honeſtum, veritati congruum magis eſſe animadvertemus (ut ut quotidiana nobis adverſati videatur in caſtris experientia) illicitas has eſſe in bello fraudes, nec impunè falſo apud hoſtes jure divino quemquam uti poſſe ſermone. Conſervandos quidem fateor eſſe ſocios, procurandam Reipublicæ ſalutem, evertendas hoſtium vires, eludendos ipſorum conatus; at licita & divinis probata legibus adhiberi remedia fas eſt. Peccato namque, juxta ſummi Doctoris admonitionem, non indulgendum ad captandum ſibi ſuiſque proveniens inde commodum. *Epiſt. ad Roman. cap.* 3. *verſ.* 8. Aſt quiſquis conſulto veritati contrariam effutierit ſententiam, delicti reus eſt; *tu perdes omnes qui loquuntur mendacium*, inquit Propheta David *Pſalm.* 5. *verſ.* 7. Hæc certa & indubitata eſt à Juſtitiâ divinâ profecta regula, cui cum in omnibus aliis locus eſſe debeat, quo minùs & huic noſtro ſit applicanda caſui, nullam video prohibere rationem, præſertim cum vulgatum ſit, fixam & immotam quamque ſtare regulam, donec vel diſertis exceptio ſit demonſtrata legum verbis, vel juſta poſſit atque ſufficiens ejus allegari cauſa. Quod ſi non poſſit ad detegendas & exſtirpandas hære-

hæreſes, adhiberi mendacium, ſi ad convertendos & reducendos aberrantes à veritatis tramite mortales non ficta vel menti contraria ferat Deus à fidelibus adinveniri verba, uti luculenter illud & evidentibus ab Auguſtino probatur argumentis, libro contra mendacium *cap.* 6. 7. Multò minùs ad civilem hanc conſervandam in hoc vitæ curriculo felicitatem, falſas citra vitium licebit adverſariis obtrudere ſententias, aut excogitare veritati contrarias enunciationes. Si quis, cum in hoſtes incidiſſet, eo neceſſitatis ſeſe redactum videat, ut aut perdere reſponſo vero ſocios, aut hoſtes circumvenire mendacio cogatur, neque verbis poſſit ambiguis dubios illos & animi pendentes efficere, Firmi Tagaſtenſis Eccleſiæ Epiſcopi generoſam imitetur conſtantiam; quem, cum alium ad ſe confugientem maximâ diligentiâ occultaſſet, quærentibus ab ipſo Cæſaris apparitoribus, ubinam delicti reus eſſet, reſpondiſſe memoriæ prodidit Auguſtinus *d. lib. contra mendacium cap.* 13. *nec mentiri ſe poſſe, nec hominem prodere*, eâque de causâ diros & horrendos ſtupendâ magnanimitate perpeſſum eſſe cruciatus. Neque refragantur hiſce producta è ſacro codice Rachabæ & Eliſæi exempla, è quibus evidens eſſe putant opinionis adverſæ patroni, licitum eſſe jure divino & laudabile mendaciis hoſtem fallere; non Rachabæ factum, nam verum quidem eſt, illam ad liberandam ab interitu ſpeculatorum vitam verba dediſſe quærentibus, ſed & firmum eſt, illam, cum mentiretur, à peccato non immunem extitiſſe. Neque quiſquam dixerit, eam omnemque familiam beneficiis in mendacii remunerationem fuiſſe cumulatam: non enim ei pepercerunt Iſraelitæ, quod falſo ſermone fruſtraneam effeciſſet inimicorum in quærendo diligentiam; ſed quod

quod illos ſummâ curâ viros occultaſſet: non propter ſiniſtras ad finem bonum tendentes artes, ſed ob ipſum felicem, viâ licet illicitâ quæſitum, finem & eventum: quomodo & in Egypto conſtat à Deo benedictas Iſraelitarum obſtetrices. Eliſæum vero quod attinet, non hoſtes ab illo per mendacium averſos ab urbe puto, cum enim diceret; *hæc non eſt via, hæc non eſt urbs, ducam vos ad eum quem quæritis*; lumine captus erat univerſus Aſſyriorum exercitus, & noverat propheta, non ante priſtinum recepturos illos oculorum uſum, quam Samariam intraſſent; ſic ut abſque mendacio, dono Dei jam certior factus, illos eum non niſi intra Samariæ muros videre vel intercipere poſſe, dixerit; hæc non eſt via &c. Ubi ſcilicet videre vel intercipere poſſitis illum quem quæritis.

33. Bellum denique aliud terreſtre eſt, aliud maritimum: & quamvis utrobique iiſdem ferè res geratur armis viris & animis, duriora tamen & horrenda magis eſſe navalia certamina docet abundè quotidianus uſus: præter eoſdem enim adverſarios etiam quandoque, caſſo fractoque tormentorum ictibus aut ventorum furore navigio, irati maris inſaniam, quandoque contumacem flammarum rabiem, & incendii miſerias experiri coguntur; ſic ut illos ſæpè, quibus hoſtium pepercere tormenta, conſumat ignis, aut incendii jam periculo ſubductos aquarum tamen abſorbeat impetus. Quæ licet viros ſtrenuos periculi magnitudine terrere potuiſſent; navalibus nihilominus præcipuè præliis hæc noſtra Reſpublica ſummum ad honoris & gloriæ faſtigium ex parvis ac propè contemnendis evecta fuit initiis, & uſque adeo temporis ſucceſſu adaucta majeſtas ejus & opes, poſtquam prima caſtellis aquaticis libertatis noſtræ fuerunt extructa fundamenta,

menta, ut divinâ favente gratiâ non hodie cujuſquam formidare teneamur vim atque potentiam. Unde datum quondam Athenienſibus ab Apolline Pithio oraculum, *ut muris ligneis ſalutem tuerentur*, non immeritò fœderatis quis applicuerit Belgii Provinciis.

CAPUT II.

De Militiâ, qui, quales & quomodo in militiam ſint adſcribendi.

1. *Variæ enumerantur Militiæ ſignificationes.*
2. *Militis definitio & etymologia proponitur.*
3. *Non ſufficit ad id ut quis miles dicatur, quod ſolummodo matriculæ militum inſcriptus ſit.*
4. *Quid ſit in numerum relatio?*
5. *Quæ ejus requiſita?*
6. *Olim inviti in Militiam adſcripti milites.*
7. *Quomodo Milites tam Pedites quam Equites apud Romanos lecti fuerint?*
8. *Milites lecti probabantur ac ſtigmate notabantur.*
9. *De Sacramento Militari ejuſque neceſſitate & utilitate.*
10. *Quid ſit Cingulum Militare?*
11. *Poſt relationem in numeros demum cincti Milites, non ante.*
12. *Quo pacto hodie penes nos conſcribantur milites?*
13. *De ſtipendio militum, ejus definitione, origine & augmento.*
14. *De veſtibus & annonâ militum.*
15. *Ante alios eligendi militum filii.*
16. *Pauperibus anteponendi ditiores.*

17. *A*

17. *A militiâ arceantur fœminæ.*
18. *Ut & Clerici ſeu Eccleſiaſticæ perſonæ.*
19. *Naturâ inſuper aut captivitate ſervi & his ſimiles.*
20. *Non eligendi impuberes, ubi de juſtâ ad militiam ætate.*
21. *Nec infamiâ notati, ob atrox ſcelus damnati, criminis capitalis rei.*
22. *Nec hæretici.*
23. *Nec ſurdi, muti, cæci.*
24. *Nec caſtrati.*
25. *Nec in armis tractandis imperiti.*
26. *Nec coloni, ſaltuenſes, negotiatores.*
27. *Nec timidi aliique his affines.*
28. *Nec luxuriæ ac voluptatibus dediti.*
29. *Ruſtici urbanis præferendi.*
30. *Juvenes etiam anteponendi ſenibus, ſi de gregariis quæſtio ſit, non item ſi de ducibus.*
31. *Utrum expediat ex unâ gente, an verò variis è populis conflatas ducere copias.*

1. EXpoſitâ paucis belli naturâ, primum ſibi locum vindicat apti bello militis electio; certum quippe, ſine milite non commodè tentari poſſe Martis aleam, nec populationes & infeſtas inimici exercitus impediri rapinas. Varias autem nobis exhibet jus noſtrum militiæ ſpecies: neque enim ſoli militant, qui gladiis, clypeis & thoracibus nituntur, verum aut civilis eſt, aut togata, aut armata: civilis mentionem facit Imperator in *l. 5. C. qui militare poſſ.* atque hæc pretio vendi poteſt, & liberis in legitimam ſolet imputari *l. 30. in fine C. de inoffic. teſtam.* ac communia quædam cum armatâ militiâ jura ſortitur, veluti quod utramque nulli gerere poſſint negotiatores, neque duas quiſ-

quiſquam queat eodem ſimul retinere tempore, & alia *l. unic. C. negotiat. ne militent.* Togata advocatorum eſt & juris peritorum; militant namque cauſarum patroni, qui glorioſæ vocis confiſi munimine laborantium ſpem, vitam & poſteros defendunt *l.* 14. *C. de advocat. diverſor. judiciorum.* Et hujus cum armatâ convenientiam belliſſimè depingit eloquentiæ parens, in oratione pro Murenâ. *Vigilas tu de nocte*, inquit, *ut tuis conſultoribus reſpondeas: ille, ut quo intendit, maturè cum exercitu perveniat; te gallorum, illum buccinarum cantus exſuſciat; tu actionem inſtituis; ille aciem inſtruit; tu caves, ne tui conſultores, ille ne urbes aut caſtra capiantur; ille tenet & ſcit ut hoſtium copiæ, tu, ut aquæ pluviæ arceantur; ille exercitatus eſt in propagandis finibus, tu in regendis.* Eſt denique armata militia, per excellentiam quandoque militia ſimpliciter dicta, de qua paucis tractare noſtri propriè hic eſt inſtituti.

2. Miles eſt, qui in numerum relatus ſub armatâ militiâ ſtipendia meret. *p. m. Parens ad princip. inſtit. de teſtam. militis n.* 2. ſic appellatus à militiâ, vel à multitudine, vel à malo quod arcere ſolet, vel à numero mille hominum, quaſi milleſimus aut inter mille lectus, ut diſputat dubius ac vix ſibi conſtans Ulpianus in *l.* 1. *ff. de teſtam. milit.* Licet poſtremam magis probare videatur opinionem, diutius ei quam cæteris inhærens; præſertim cum plures enumerans eodem de negotio ſententias, elegiſſe præcipuè poſtremam videatur *arg. l.* 10. *in princip. verſ. potius enim hoc. ff. de acquir. vel amitt. poſſeſſ.* Bocerus *de bello cap.* 6. *n.* 7. & certè maximè probabilis illa militis eſt etymologia: ſicut enim *tribus* Romæ dictæ ſunt, quod initio tres tantum eſſent à Romulo inſtitutæ, quarum ille ſingulis

gulis virum clariſſimum præfecerat. Dionyſ. Halicarn. *Antiquit. Romanar. lib.* 2. Quæ licet invaleſcente Republicâ ad triginta quinque tandem numerum accreverint: antiquum tamen nomen primitus impoſitum conſtanter uſque retinuerunt. Sic quoque, cum initio rei Romanæ ex unaquâque tribu mille tantummodo viri mitterentur, quiſquis inter illos mille lectus eſſet, militis nomen ſortitus eſt. Connan. 9. *comment. jur. civil. cap.* 5. *n.* 1. Et quamvis poſtea, præmentibus undique copiis hoſtilibus, non obſervatus fuerit ille ſolitus ex quâque tribu dari numerus; uſu tamen inveterato probatum manſit aſſiduè militis nomen. Ad illud igitur, ut miles armatus quis eſſe queat, duo de neceſſitate requiri puto; primò, ut in numerum relatus ſit. Secundò, ut ſtipendia mereat.

3. Cum militem in numeros dico referendum, nullo modo ſufficere cenſeo, nomen ejus inſcriptum eſſe matriculæ, verùm illud inſuper deſiderari puto, ut in ordinem aliquem referatur aut claſſem, certiſque ſub ſignis ſit. *L.* 4. *l.* 38. §. 1. *l.* 42. *ff. de teſtam. militis. l.* 31. *C. locati. l.* 15. *C. de re militari.* Quoſcunque enim matriculæ ſolummodò inſcriptos eſſe conſtat, eos ſacramentum nondum præſtitiſſe, Vegetius autor eſt *lib.* 2. *de re militari cap.* 5. ſic ut hic numeri vocabulum non aliud deſignet quam ordinem ſeu militum collectionem, quales ſunt cohortes, centuriæ, contubernia, turmæ, alæ, cunei &c. *l.* 2. *in princ.* & §. 1. *ff. de his qui notantur infam. l.* 4. §. 10. *ff. de re militari. l.* 31. *C. locati.*

4. In numeros autem relatio actus eſt, quo lecti, probati jurati milites ad certa ſigna vel exercitûs partem referuntur. Bocerus *de bello*, *cap.* 10. *n.* 1. eoque ſegregantur à militibus tyrones, qui, quamvis & lecti ſint, & iter publicis faciant impenſis, mi-

litum tamen non continentur appellatione, ne militaribus ante gaudere queunt prærogativis, qu certos in numeros relati ſint. *L.* 42. *de teſtame milit.* Cognatus noſter Stewech. *ad Veget. de milit. lib.* 2. *cap.* 5.

5. Ut verò partibus omnibus abſoluta atque pe fecta dici valeat in numerum relatio, varias ſole nitates antecedere neceſſe eſt: milites namque p mò legi, lectos probari, probatos ſacramenti re gione ſemet obſtringere, tum demum in numer referri decet; qui quidem ultimus in illis con tuendis actus eſt ex non milite militem efficien & omnia militaria jura tribuens atque privileg *d. l.* 42. *ff. de teſtam. milit.*

6. Inviti quondam penes Romanos electi mi tes; & uſque adeo impoſitam ſuſcipere coacti m litiæ conditionem, ut ſi lecti non reſpondiſſent, pr proditoribus haberentur & capitali plecterentur ſu plicio. *L.* 4. §. 10. *ff. de re militari.* Si verò pater m litiæ filium ſubtraxiſſet, in pace quidem fuſtib cæderetur, belli tempore bonorum parte mulct retur & exilio; ipſe autem filius in deteriorem d retur militiam *d. l.* 4. §. 11. Sed immutatus poſt fuit ille militiæ ſtatus, & voluntario milite pleru que novo jure numeri ſuppleri ceperunt. *d. l.* 4. §. 1

7. Ut autem gloriæ æmulatione ducta quæq legio promtius in hoſtes moveretur in prælio, ne que poſſet ſpecioſum, quo minus virtute cætera- rum res geſtas adæquaret, adinvenire velamen, ſummâ illud diligentiâ curarunt uſque Romani, ne virorum præſtantiâ vel numero alia aliam ſuperaret; verum, ut in unâquâque æquales eſſent robore milites, pares ferè ætate, majeſtate, ac peritiâ Du- ces, effecerunt. Conſules eâ de causâ diem cer- tum conſtituebant, eoque præſto jubebant eſſe Ro-

manam in Capitolio juventutem: ubi dies præfixus illuxiſſet, oblatis tot ſimul peditibus, quot legiones conſcribere deſtinaſſent, ex oblato primo numero primi virum accipiebant legionis primæ tribuni; dato ſecundo totidem juvenem numero, ex eo primi ſibi militem ſumebant legionis ſecundæ Præfecti; è tertio legionis tertiæ Ducibus ante cæteros optio dabatur, atque ita mutuâ viciſſitudine primi mediis, medii ultimis, ultimi primis principem concedebant in eligendo locum, donec legitimus repletus eſſet legionum numerus. *Polyb. lib.6.* Equites ſeorſim à cenſoribus electi, qui etiam vel nimis obeſos, vel nimium macilentum equum habentes, velut indignos, equo privabant. Gellius *lib.* 4. *noctium Attic. c.* 12.

Eâ, quâ dictum, methodo cooptati milites, per quatuor menſium ſpatium vel ampliùs ſolebant exerceri, quo commodè cognoſci poſſet, utrum tanto operi pares eſſent & idonei; & minus apti bello repudiarentur ut inutiles, fortioribus aliis in illorum locum ſubſtitutis.

8. In certum deinceps ac patentem convocati locum probabantur à Tribunis, Polyb. *lib.* 6. poſterioribus temporibus à militum magiſtris; unde & in *l.* 1. *C. qui militare poſſunt*, milites offerre ſeſe jubentur his qui probandi jus habent: jure tamen novo non Tribuni, non Duces, non equitum Magiſtri, ſed ſolus Imperator, ex Zenonis conſtitutione, probatoriam militum faciendi poteſtatem ſibi vindicavit. *L.* 17. *C. de re militari.*

Probatorum autem brachiis ſtigmata ſeu notæ publicæ infligebantur, partim ut de probatoriâ conſtaret, partim ut latitantes vel aufugientes è notis iſtis facilius cognoſci poſſent & meritis pro delicti gravitate ſubdi ſuppliciis, *l.* 3. *C. de Fabricenſibus.*

Veget. *de re milit. lib.* 1. *cap.* 8. Neque enim ejuſmodi impoſita cuti puncta, ullâ humanâ arte ita deleri poterant, quin perpetuo brachiis aliquod ipſorum adhuc inhæreret veſtigium, unde *victuris in cute punctis milites ſcriptos* dicit Veget. *lib.* 2. *de re milit. cap.* 5. *ex Stewechii emendatione.*

9. Poſtquàm ita notati eſſent, ſacramentum militare præſtare cogebantur. Quod quidem nihil aliud erat quam ſolennis verborum conceptio, quâ ſeſe Ducibus obtemperaturum, eorum mandato pro viribus executurum, neque deſerturum militiam, neque mortem recuſaturum pro Republicâ miles promittit. Eligebatur autem è legione juvenis maxime idoneus, & concepta per Tribunos verba proferebat: reliqui omnia, quæ primus ille, ſe facturos, promittebant. Polyb. *lib.* 6. Et illud quandoque ſtrictis gladiis cervicibuſque admotis dictum fuiſſe, teſtis eſt Ammianus Marcellin. *lib.* 21. Initio autem Reipublicæ Romanæ jurejurando confirmatum non fuit apud Tribunos ſacramentum militare; ſed equites decuriatim, pedites centuriatim voluntarium præſtabant inter ſe jusjurandum: bello demum Punico ſecundo L. Flacco & C. Varrone (uti Frontinus ait *lib.* 4. *ſtratag. cap.* 1. *n.* 4.) ſeu potius L. Emilio Paulo, Terentio Varrone conſulibus, jurejurando à Tribunis adacti milites, juſſu Conſulum ſe conventuros, neque injuſſu abituros. Livius *lib.* 22. Alia proponuntur in formulis ab A. Gellio *lib.* 16. *noct. Attic. cap.* 4. & Vegetio *de re milit. lib.* 2. *cap.* 5. exhibitis. Cæterùm annis ſingulis, Kalendis ſcilicet Januariis, jurare milites cogebantur. *Kalendis Januariis*, (inquit Sueton. in vitâ Galbæ cap. 16.) *adigi Sacramento niſi in nomen Senatûs, recuſarunt.* Quòd ſi repentinus ſuboriretur tumultus, ſic ut ſolenni more cuncta peragi non ferret

ferret temporis anguſtia; non ſinguli ſed ſimul omnes conjurationem inſtituebant; exercitum namque ducturus in capitolium adſcendebat, & prolatis duobus vexillis, roſeo ac ceruleo, illo pedites, hoc equites convocabat, edicebatque, ut quiſquis ſalvam vellet Rempublicam, ſe Ducem ſequeretur. Quotquot igitur ei ſeſe comites adjunxiſſent, ſimul jurabant. Nonnunquam etiam ad ſingularia quæpiam jurejurando promittenda milites à Ducibus coactos fuiſſe fides hiſtoriæ abundè probat. Supplicii comminatione, mortiſque metu compulſi à præfectis ſuis Samnites, ut diro carmine ſeſe devoventes jurarent, ex acie ſe non fugituros, aut extemplo occiſuros eum, quem è prælio fugientem vidiſſent. Livius *lib.* 10. Et Petrejus exercitui Pompejano Præpoſitus, eo ſuos milites adduxit, ut jurejurando promitterent univerſi, ſe Duces, exercitumque non deſerturos, neque prodituros, neque ſeparatim à reliquis ſibi capturos conſilium. Cæſar *lib.* 1. *de bell. civil. cap.* 76. Adeo autem neceſſaria fuit hæc in milite Sacramenti dictio, ut, etiam ſi quis in exercitu vagaretur, abſque eâ tamen adverſarium ferire nefas illi eſſet. Plutarch. *problem.* 38. Eum enim, qui non præſtito jurejurando in hoſtem ruit, non tam Reipublicæ causâ illud agere, quam ſuæ ſervire libidini & crudelibus indulgere velle affectibus, veteres crediderunt. Ubi vero ſeſe ſacramenti fide milites obſtrinxiſſent, tanto quandoque illius injectâ ſolummodo mentione illos in prælium ardore concitatos fuiſſe conſtat, ut Duces optimi turpem ſæpe ſtiterint & infamem ſuorum fugam. De M. Fabio teſtatur illud Livius, *lib.* 2. *n.* 46. *Marcus*, inquit, *Fabius Conſul tranſiliit jacentis* (Quinti nempe Fabii in prælio interemti) *corpus, objectaque parma; hoc juraſtis,* inquit, *milites. Fugientes*

vos in caſtra redituros? adeo ignaviſſimos hoſtes magis timetis, quam Jovem, Martemque per quos juraſtis? At ego injuratus aut victor revertar, aut prope te hic Q. Fabi dimicans cadam. Quibus auditis in hoſtes ilico cum Conſule converſus univerſus exercitus acerrimè prælium redintegrabat, & timoris ignominiam novo virtutis ſpecimine diluere nitebatur.

10. Poſt dictum denique ritè ſacramentum milites in numerum relati; atque ut de eo palam omnibus conſtaret, militiæ cingulo conſuevere cingi. *L.* 25. *l.* 38. §. 1. *l.* 43. *ff. de teſtam. militis.* Neque penes ſolos Romanos, ſed & apud alias gentes hæc obſervata fuit cingendi conſuetudo; nam & Moabitæ cum Iſraëlitis prælio decertaturi, omnes illos convocaſſe dicuntur, qui cingulo, velut inſigni militiæ, ſemet accingebant, 2. *Regum cap.* 3. ℣. 21. Et in ſacro codice paſſim cinxiſſe ſeſe perhibentur expeditionem in hoſtes facturi. Eſt autem cingulum militare Zona, quâ milites prius probati & in numerum relati in militaris ordinis inſigne cingebantur. Connan. 9. *comment. cap.* 5. *n.* 8.

11. Et quanquam Bocerus exiſtimat, militare cingulum anteceſſiſſe in numerum relationem, *tract. de bello cap.* 9. *n.* 3. cum Hotomanno tamen *diſput. feud. cap.* 23. poſt relationem in numerum cinctos demum fuiſſe puto milites, hoc præſertim motus argumento; quod in *l.* 42. *ff. de teſtam. milit.* teſtari poſſe militari jure miles dicatur cum in numerum relatus eſt, non ante. In lege vero 43. *eod. tit.* Papinianus reſponderit cingi confeſtim juſſum teſtari poſſe: ſi itaque cingulum antecederet in numerum relationem, cum cinctus teſtamentum facere poſſit, juxta *d. l.* 43. etiam miles ante relationem in numerum more militari poſſet ultimum condere elogium contra genuinam legis 42. mentem.

12. Hodiernos quod attinet in milite conſcribendo mores, ſolent apud nos ad Tympani vel tubæ ſonitum non inviti ſed ſpontè legi milites; ſic ut quicunque nomen militiæ dare voluerint, Centurionem vel alium, cui id in mandatis datum, adire teneantur, ibique nomen ſuum profiteri & in arma ſtudium, atque ubi militum fuerint inſcripti matriculæ, jurare, militiam ſe non deſerturos, fidelitatem præſtituros Ordinibus generalibus, unionem ac religionem reformatam tutantibus, ut & uniuſcujuſque Provinciæ Ordinibus, civitatis inſuper illius Magiſtratibus, ubi præſidii causâ conſtituti ſunt, ſub Ducum auſpiciis gnaviter obtemperaturos, leges militares obſervaturos, nec ullum ſubjectis illaturos incommodum, ut id clarè patet ex notiſſimis ſacramenti formulis.

13. De primo diximus hactenus in milite requiſito, alterum eſt, ut ſtipendia mereat: eum enim, qui pro Reipublicæ pace ac civium ſalute excubias agit, è publico quoque nutriri oportet. *L.* 31. *C. locati. l.* 15. *C. de re milit. tit. C. de erogat. milit. Annon. & de militari veſte.* Appellatum autem eſt ſtipendium à ſtipe, quod per ſtipes, id eſt modica æra colligatur. *L.*27. §.1. *ff. de verbor. ſignif.* Illudque Puteanus ait eſſe *æs militare*, *mercedem militarem, quâ anima & corpus æſtimatur. Syntagm. de ſtipend. milit.* Verùm minus accuratè: neque enim ſtipendio propriè corpus & anima militis æſtimatur, non miles animam vendit, non libertatem, non corpus in bello venale circumfert; operam ſolummodo ſuam Reipublicæ neceſſariam elocat. Rectius igitur ſtipendium quis dixerit eſt ſalarium, quod militibus erogari ſolet in laboris & periculorum remunerationem. Et primis quidem Romanæ Reipublicæ temporibus propriis quiſque ſumtibus ar-

ma pro ſalute publica ferre cogebatur; unde evenit, ut, cum Servius Tullius, ſextus Romanorum Rex, juxta cenſum ſeu divitias in ſex populum claſſes diviſiſſet, ſextæ cives utpote omnium pauperrimos militiæ oneribus exemerit: *hoc minor cenſus*, inquit Livius lib. 1. n. 43. *reliquam multitudinem habuit, inde una centuria facta eſt immunis militia.* Anno demum ab urbe condita trecenteſimo quadrageſimo ſeptimo peditibus aſſignata ſtipendia; triennio poſt equitibus quoque ſalarium è publico dari cœptum. Putean. *Syntagm. de ſtipend. milit. c.* 4. Longè tamen ante, Servii ſcilicet Tullii tempore, impenſis alienis equitibus equi dati ac nutriti, cùm primùm populus in certas claſſes diviſus eſſet. Sic enim Livius *lib.* 1. *n.* 43. *equitum ex primoribus civitatis duodecim ſcripſit centurias. Sex item alias centurias, tribus ab Romulo inſtitutis, ſub iiſdem, quibus inauguratæ erant nominibus fecit. Ad equos emendos dena millia æris ex publico data; & quibus equos alerent, viduæ attributæ, quæ bina millia æris in annos ſingulos penderent.*

Non unus autem fuit uſque ſtipendiorum modus; in prima enim illa veterum paupertate, tres in ſingulos dies aſſes ſufficere viſi fuere: creſcente publicâ potentiâ quinque dati: à Cæſare decem: tredecim cum triente à Domitiano, quibus diu multumque inhærere non hujus eſt loci; altius hæc & accuratius ſi quis inquirere deſideret, Puteani conſulat doctiſſimum de militari ſtipendio ſyntagma, ſingula demonſtrata inveniet augmenti tempora & refutatos aliorum errores.

14. Porrò datæ quidem militibus præter ſtipendium etiam veſtes, arma, frumentum, unde tituli Codicis *de erogat. milit. annonæ de milit. veſte &c.* non tamen hæc iis gratuita fuerunt; ſed certa horum omnium pretia de ſtipendio à quæſtore deduc-

ta

ta. Cajus Gracchus omnium primus de veſtibus publicè militibus dandis ſine ſtipendiorum diminutione legem tulit, cum prius effeciſſet, ut veſtem militib. civitates ſponte donarent. Plutarch. *in vitâ Cajici Gracchi.* Verùm aucto per Cæſarem ſtipendio in deſuetudinem videtur abiiſſe hæc Gracchi rogatio: milites utique apud Tacitum *Annal. lib.* 1. *cap.* 17. militiam queruntur *gravem & infructuoſam, denis in diem aſſibus animam & corpus æſtimari: hinc veſtem, arma, tentoria; hinc ſævitiam centurionum & vacationes munerum redimi.* Poſteriorum tamen Imperatorum ſeculis, iterum militibus præter ſtipendia chlamides datæ, vel earum pretium, *l.* 2. 3. *C. de militari veſte*, etiam ſingulis diebus annona attributa. *l.* 6. *l.* 7. *C. de erogat. milit. annonæ.*

15. Cum autem non omnes promiſcuè militiæ reperiantur idonei, deſpiciendum ulterius, qui potiſſimum in milites eligendi, qui à belli muneribus removendi ſint. Legendos eſſe viros honeſtos, vegetos, ingenuos, nemo dubitat; anteponendos aliis militum filios, eorum præſertim, qui rebus ſtrenuè geſtis perenne ſibi quæſivere nomen, Imperatores cenſuerunt, *toto tit. C. de filiis official. milit. qui in bello moriuntur. Arg. l.* 13. *C. de advocat. diverſ. judic.* Fortes enim ſæpe fortibus creari, contingit, & genitoribus præſumuntur haud diſſimiles futuri nati, atque ut illorum vitia ſic quoque virtutes imitaturi, *arg. l.* 5. *C. ad leg. Jul. majeſt.* Quod ſi tamen heroum filii noxæ ſint, ſi ignavi & ſocordes, propter ſolam parentum fortitudinem aliis anteferri deſiderent, ac ſolâ majorum illuſtrium ſerie tumentes affectent militiæ dignitatem, obſtabit illis Antigoni Regis effatum, qui pari in cauſâ, *ô adoleſcens*, inquit, *apud me virorum, non parentum virtutibus præ-*

præmia ſunt. Plutarch. *de vitioſa verecundia.* Scilicet non ſolæ poſteros bello utiles efficiunt fumoſæ majorum imagines, non ſtantes in curribus Æmiliani: non aliena ſed propria maximè ſpectatur ac colitur in militia fortitudo: unde Marius apud Salluſt. *de bello Jugurt. cap.* 85. *non poſſum*, inquit, *fidei causâ imagines, neque triumphos, aut conſulatus majorum meorum oſtentare; at, ſi res poſtulet, haſtas, vexillum, phaleras, alia dona militaria, præterea cicatrices adverſo corpore. Hæ ſunt meæ imagines, hæc nobilitas....* Hæc digna ſtrenuo ac generoſo milite oratio: optimus nihilominus & omnibus præponendus ille, qui cum virtute propria conjunctam poſſidet majorum nobilitatem, & longam valet triumphorum, ope ipſorum ac conſilio impetratorum, enumerare ſeriem. Impellunt namque ad ſimilia audendum, ad illuſtrem poſteris ſui memoriam relinquendam, prædeceſſorum exempla. Sic ſummum in monomachiâ cum Turno diſcrimen ſubiturus Æneas, Aſcanio, ut conſanguineorum ſolummodo fortia ſibi facta proponeret, præcepit.

Tu facito, mox, ait, *cum matura adoleverit ætas,*
Sis memor: & te animo repetentem exempla tuorum,
Et pater Æneas, & avunculus excitet Hector. Virgil. *libr.* 12. *Æneid.* v. 438.

Et Andromache de Aſcanio puero Æneam interrogans

Ecquid, inquit, *in antiquam virtutem animoſque viriles*
Et pater Æneas, & avunculus excitat Hector? *libr.* 3. v. 342.

16. Ditiores quoque, quantum fieri poteſt, præcipuè conquirendi, nec admittendi minus opibus pollentes, quamdiu ſuppetit aliorum copia; quanto enim

enim majorem quis novit amiſsâ patriâ ſeſe patrimonii jacturam facturum, tanto etiam majoribus animis ac conſtantiâ pro Reipublicæ ſalute dimicabit, & diligentius pro ipſius invigilabit incolumitate. Cum ex adverſo paupertino nihil poſſidenti ubique terrarum æquè commodus ſit habitandi locus; ſic ut, pereat an ſalva maneat Reſpublica, flocci pendat, modo liceat integrum inde corpus deducere. Unde Servius Tullius immunem militiâ ſextam juſſit eſſe Romanorum claſſem, plus opis & in patriam amoris à potentioribus exſpectans. Quamvis non negaverim, reperiri quandoque pauperes affectione in natale ſolum, & erga Rempublicam fide, nullis ingentium bonorum poſſeſſoribus ſecundos.

17. Ut autem magis conſtare poſſit, quales in militiam præcipuè ſint adſcribendi, paucis non idoneos enumerabo; quibus cognitis, facile, quinam admittendi ſint, quiſque percipiet.

Et primo quidem ab armorum ſtrepitu longè remotas eſſe fæminas oportet, ſi enim ab omnibus civilibus arceantur officiis, *l. 2. ff. de regul. jur.* Multò minùs militaria poterunt obire munera, in quibus præſertim, ſi uſpiam alibi, ſumma requiritur animi conſtantia, argoris, æſtus & inediæ patientia, & ſufficiens ad onera ad arma ferenda corporis robus; quæ quam raro in feminea ſoleant reperiri turba cuique notum eſt. Unde Turnus uni ex furiis infernalibus in aniles transformatus vultus, ac bellum ſuadenti reſpondit;

Cura tibi, Divûm effigies & templa tueri:
Bella viri pacemque gerant, queis bella gerenda.
Virgil. *lib.* 7. *Æneid.* v. 443.

Telam itaque tractent ac colum mulieres; ſtamina pollice torqueant, ancillas & domeſtica curent negotia.

gotia. Bello tamen illuſtres quandoque extitiſſe fœminas, in opprobrium ferè virorum natas, hiſtoriarum monumenta teſtantur. Non dubitarunt Amazones acriter in populos vicinos arma movere, vel ingentibus animis illata repellere. Et eximia fortitudinis ſuæ documenta dedit in obſidione Troyæ illarum Regina Pentheſilea. Juſtin. *lib.* 2. *cap.* 4. Quam & ea de cauſa Martiam Virgilius appellavit *lib.* 11. *Æneid.* Interemit Camilla, teſte *Virgil. lib.* 11. fortiſſimos quoſque Troyanorum Duces. Cyrum, Regina Tamyris exercitum ipſa ducens, internecione delevit. *Juſtin. lib.* 1. *cap.* 8. Cievit inter primos acerrimè prælium contra Græcos, Arthemiſia Halicarnaſſi Regina. *Juſtin. lib.* 2. *cap.* 12. Varias Semyramis ipſa fecit in hoſticum expeditiones, per rupes & avia loca enitens munitiſſimam naturâ Bactrianorum expugnavit arcem. Diod. Sicul. *Hiſtor. lib.* 2. Inter primas acies in cruento adverſus Burgundiæ Ducem prælio perpetuo abequitans Jacoba Hollandiæ Comes, vires & animum ſuis inſpiravit. *Bataviſche Arcadia ſub fin.* Ut ſicco pede tranſeam Theleſillam, Teucam, Candacen, Eliſabetham Angliæ Reginam, & innumeras ferè alias rerum in bello geſtarum magnitudine celebres. Apud Laxamatas Scythicam gentem, adeo neceſſaria fuit in muliere belli peritia, ut nuptui dari virginem, quæ hoſtem non interfeciſſet, illicitum fuerit. Alex. ab Alexandro *gen. dier. libr.* 1. *cap.* 24.

18. Eximendi etiam belli muneribus Clerici ſeu Eccleſiaſticæ perſonæ, ne à cæleſti militia avocentur: unde & ſi quis ad Eccleſiaſticum ſeſe munus applicuerit, & Chriſti fuerit miles factus, ſtatim deſinit eſſe miles ſæculi. *Tit.* 21. *lib.* 2. *feud.* Quòd ſi magna tamen urgeat neceſſitas, & virorum penuriâ Reſpublica laboret, ipſos quoque tela vibrare,

in

in acie ſtare, hoſtes pellere, excubias, ſtationes agere, & alia militiæ incommoda ſuſtinere poſſe & debere Eccleſiaſticos, abſurdum non eſt. Lege quondam cautum fuit apud Romanos, ut Sacerdotes à militiâ immunes eſſent, niſi Galli irruerent. Plutarch. *in vitâ Camilli ſub fin.* Cum enim eo caſu de vita agatur, ſic ut, niſi & Sacerdotes arma capiant, actum ſit de Reipublicæ ſalute, non tanquam milites arma gerunt, verum ut in ſtatu naturali conſtituti vim vi repellere conantur, & à corpore ab aris ac laribus domeſticis injuriam juxta rectæ rationis dictamen arcent, ſui ipſorum alias homicidæ futuri ac latrones, ſi non omnibus modis ab hoſtibus intentatas repulerint violentias ac mortis periculum. Et quamvis ſub veteri Teſtamento rariſſimè arma geſtaſſe Dei Sacerdotes manifeſtum ſit; eos tamen militiæ muneribus non penitus exemtos fuiſſe abundè conſtat: in caſtris enim verſari, cum parte copiarum expeditionem ſuſcipere, claſſicum in acie canere, & ad acriter depugnandum tubarum ſeu cornuum clangore ſolebant inſtigare, deſcendentibus inſuper in prælium militibus ac in procinctu ſtantibus animum concione adverſus hoſtium firmare multitudinem. *Numeror. cap.* 31. *verſ.* 6. *Deuteron. cap.* 20. *verſ.* 3. *&c. Joſuæ cap.* 6. *verſ.* 2. *&c.* 2. *Chronic. cap.* 15. *verſ.* 12.

19. Inſuper in militiam non eligendi ſervi, vel qui ſtatus controverſiam patiuntur. *L.* 8. *l.* 11. *ff. de re Milit.* Nec ab hoſtibus redemti, niſi prius ſeſe purgaverint, ſeque non ignaviâ vel culpâ ſuâ, ſed hoſtium nimio oppreſſos ac captos eſſe numero docuerint. *D. l.* 8. *ff. de re Milit.* Generoſi namque requiruntur in milite ſpiritus, animus ad ſublimia quæque tendens, & natalis ſoli flagrans amore, neque renuens glorioſam pro Republica mortem oppetere.

oppetere. At quiſnam hæc reperiet in ſervis? quis obſecro viri fortis exſpectet actiones & effectus ab illis, qui ſervilibus uſque negotiis intenti, ſordidiſque aſſuefacti operibus, dominorum solummodo nutus obſervare norunt & imperia, ac humiles & omni libertatis ſpe deſtituti ne cogitando quidem ad altiora graſſari ſolent, atque ſerviles plerumque pœnas ante oculos habentes, vel ad flagri ſonitum, lorive ſtrepitum viſceribus ingentem concipiunt illico timorem; adeò ut Scythæ ſervorum arrogantiam non valentes armis reprimere, flagrorum eos ſolo conſpectu ſubegerint. Præcipuè verò in illis ſinceram ac candidam licebit in Rempublicam deſiderare fidem, ſtudium & affectum, ſine quibus tamen nemo bonus eſſe poteſt Reipublicæ miles: cum enim exteræ ſint nationis homines, utpote in bello ſervati, §. 3. *Inſt. de Jure Natur. Gent. & Civil.* Quis non jure merito ſuſpicetur, eos leviſſima de cauſa deſertis caſtris, relictis belli ſociis, turbatis ordinibus, ad hoſtes ſigna tranſlaturos, ut hoc pacto poſſent atroces ulciſci dominorum injurias, & diuturnas duræ ſervitutis vindicare calamitates: quæ & ratio fuit, quod antiquitùs Romani capitalem decreverint in ſervos pœnam, militiæ ſemet offerentes, *lib.* 11. *ff. de re Milit.* Cujus tamen legis per Juſtinianum mitigata ſævitia in *l.* 6. *C. qui militare poſſ.* cautum enim, ut ſi militiam ignorante domino ſervus meruerit, priſtinæ ad domini querelam ſervituti quamprimùm reſtituatur; ſin vero permittente vel jubente eo fuerit in numerum relatus, liber habeatur, militiæ tamen cingulo privatus, niſi fortè bello ſatis viſus fuerit idoneus. Quod ſi contigerit, ſervili dedecore militarem commaculari dignitatem, dum miles in ſervum venire ſeſe patitur, hunc ut indignum ac degene-

degenerem ultimo ſupplicio cenſuerunt è medio tollendum, *l. 14. ff. de pœnis.*

Si vero talis ſit ingenuorum in civitatibus inopia, ut è liberis capitibus conſcribi nequeat ad propellendos impetus hoſtiles ſufficiens exercitus, quis adeo foret mente captus, ut Rempublicam peſſum ire potius pateretur, quam armatam è ſervorum numero congregare manum: ne ſervi legantur ſuadet quidem gloria; at aliud quandoque cogit haud legis patiens neceſſitas; expedit ſane magis quibuſvis moraliter licitis libertatem conſervare viis, quam moroſâ legum civilium obſervatione & inani gloriâ nihil profuturâ perite; præſtat parumper ſervis miſceri, quo dura Principis externi evitetur dominatio, quam virium defectu perpetuum experiri ſervitutis jugum. *Cedit* ſcilicet *interdum generoſus ſpiritu utilitati* (ut inquit Valer. Maximus lib. 7. cap. 6. n. 1.) *& fortuna viribus ſuccumbit, ubi, niſi tutiora elegerit conſilia, ſpecioſa ſequenti concidendum eſt.* Priuſquam tamen militum in numerum ſervi cooptentur, eos libertate donari fas eſt, ut ejus memores, tanquam reviviſcentes videantur pro novellâ decertare patriâ, & pro propriis pugnare focis. Illud ſummas ad anguſtias redacti fecere Romani, multiplici clade deficiente ſanguine ingenuo: *arma non erant*, inquit Florus lib. 2. cap. 6. *detracta ſunt templis; deerat juventus, in Sacramentum militiæ liberata ſervitia.* Hoc ipſum in feralibus Cæſaris ac Pompeji fuit actum diſſidiis. Cæſar *lib. 3. de Bello Civil. cap. 9.* Et inopiâ militum laborantes Spartani, non liberos tantùm eſſe ſervos juſſerunt, ſed &, quo magis novorum civium ad audaciam accenderent animos, iis in matrimonium polliciti ſunt interfectorum uxores. Juſtin. *lib. 3. cap. 5.*

Quam-

Quamvis autem nulla penes nos hodie conſpiciantur nativitate vel bello capta mancipia; certum tamen eſt, quoſdam reperiri natura ſervos, quorum menti vix ulla generoſi ſpiritus inſidet ſcintilla, quos nihil ad fortitudinem movere valet amor patriæ, nihil natalis ſoli dilectio; quibus arridet facile quivis Princeps, exteri cujuſlibet non diſplicet dominatio; hos igitur non ſecus atque ſervos aut ignava pecora militiæ dignitatibus excludi neceſſe eſt.

20. Impuberes quoque, cum armis ferendis vires non ſufficiant, ad belli munera temerè non admittendi. Hotomann. *diſput. feud. cap.* 14. Propter egregia tamen parentum in Rempublicam merita quandoque in militum Tribunos electos fuiſſe penes Romanos impuberes, liquet ex *l. fin. C. de Teſtament. Militari.* Licet hi militiæ non cogerentur onera ſubire, ſed velut honorarii ac nomine tantum tenus haberentur Tribuni; ac proinde nec ultimum propter mentis inconſtantiam conderent elogium, nec militaribus gauderent prærogativis, *d. l. fin.*

Juſta autem militiæ ætas pro regionum ac Rerumpublicarum diverſo ſitu diſcrepare ſolet. Iſraëlitis ad arma ferenda conſtitutus erat annus vigeſimus. *Exod. cap.*20. *verſ.* 14. *Numer. cap.*1. *verſ.*3. Unde & illi tantum numerati, qui vigeſimum impleviſſent ætatis annum, ſi quidem iis animus eſſet ſuas inquirere vires & armatorum multitudinem. Moris fuit penes Athenienſes, ut quicunque decimum octavum attigiſſent annum, militari ſeſe Sacramento obſtringerent. Carol. Sigon. *de Republ. Athenienſ. lib.* 4. *cap.* 5. Juſta Romanis ad expeditiones ſuſcipiendas ætas fuit annus decimus ſeptimus; primum illud à Servio Tullio fuit introductum, A. Gellius *lib.*10. *noct. Attic. cap.* 28. Legem poſtea

poſtea tulit C. Gracchus de minoribus decem & ſeptem annis ad militiam non cogendis. Plutarch. *in vita Caji Gracchi*. Alex. ab Alexandr. *gen. dier. lib.* 1. *cap.* 20. Aliquando tamen ſeptendecim annis minores ad obeunda belli munera lectos fuiſſe, docent Ajala *de Jur. & Offic. Bell. lib.* 3. *cap.* 4. *n.* 14. Perez. *tit. C. de Tyronibus n.* 1. Manlium Capitolinum ante annum decimum ſeptimum bina ex hoſte ſpolia cepiſſe, Plinius autor eſt: *lib.* 7. *hiſtor. natur. cap.* 28. Et quondam ante Servii Tulli tempora omnes apud Romanos anno decimo quarto ſtipendia feciſſe, patet ex Vegetio *de re milit. lib.* 1. *c.* 4. *Et quidem*, inquit, *ſi antiqua conſuetudo ſervanda eſt, incipientem pubertatem ad delectum cogendam nullus ignorat*. Ad illud enim ſæculum hic reſpexiſſe Vegetum inde mihi perſuadeo, quod de antiqua populi Romani loquatur conſuetudine. At non niſi ante Servium Tullium fuiſſe conſuetudinem, ab eodem autem hanc in perpetuo valituram mutatam fuiſſe conſtitutionem, ex Gellio *d. cap.* 28. *lib.* 10. manifeſtum eſt.

21. In militiam præterea non aſſumendi infames, ex atroci ſcelere ad beſtias damnati, in inſulam deportati, vel criminis capitalis rei, *l.* 4. §. 1. & *ſeqq. ff. de re militari*: adeò ut ſi miles adulterii fuerit damnatus, ipſa quoque in illum lata ſententia ignominiæ causâ, Sacramento ſolvat: *l.* 2. §. 3. *ff. de his qui notant. infam.* Ubi enim vel minimum criminis commiſſi ſenſibus offertur ſignum, ubi perpetrati delicti ſpecies aliqua & imago oculis obverſatur, facti ſtatim conſcientia timorem incutit. Unde nec in acie ſtare, nec hoſtium impetum, vix conſpectum ferre valent, & tanquam victi arma abjiciunt, ubi de victoria maximè foret cogitandum. Philippus proinde Macedo cum Phocen-

ſibus prælio decertaturus, qui templum Delphicum ſpoliaverant Apollinis, eoque nomine ſacrilegii erant impliciti crimini, milites ſuos omnes ex lauro, Dei inſigni, coronas imponere capitibus juſſit; quo viſo, metu ſtatim perculſi Phocenſes, ac ſceleris conſcientia territi, in fugam armis abjectis ſeſe conjecerunt. Juſtin. *lib.* 2. *cap.* 8. Cumque invicti forent Scytharum ſervi, bella dominis moventes, loris conſpectis, ilico non ſecus ac fugitiva cohors terga dederunt. Non tamen in ipſa militia factus infamis ex delicto militari, ſecutâ ſententiâ, numeris eximitur, modo ſacramenti non ſit rupta fides. *Arg. l.* 6. §. 6. *ff. de injuſt. rupt. irrit. facto teſtam. l.* 11. *ff. de teſtament. milit. l.* 22. §. 1. *ff.* 13. *de legat.* Si enim miles, ubi ex militari condemnatus eſt delicto, poſſit nihilominus ultimam militari jure condere voluntatem, eum poſt ſententiam adhuc in numeris manſiſſe neceſſe eſt; cum nullus niſi in numeris ſtipendia merens, militum more teſtari valet. *L.* 42. *ff. de teſtam. milit. Tiraquell. de Nobilitate cap.* 8. *n.* 7.

22. Cùm autem in Hæreticis eadem, quæ criminis in reis, ratio militet, illos quoque in numerum militum referri vetuerunt Imperatores Valentinianus & Martianus, *l.* 8. §. 4. *de Hæret. & Manichæis.* Sic ut in militiam non ante quis fuerit aſſumendus, quam ſacroſanctis propoſitis evangeliis teſtificatus fuiſſet coram tribus apud acta, ſe Chriſtianum orthodoxum eſſe, ſub decem librarum multa & cinguli privatione. *L.* 20. *C. de Epiſcopali audientia.*

23. Adhæc arcendi bello ſurdi & muti, *l.* 4. *ff. de teſtam. milit. arg. l.* 10. *C. qui teſtam. facere poſſ.* Neque enim talis militare valet præſtare ſacramentum, ſine quo tamen hoſtem ferire nefas olim fuit, ut

ut ante dixi; neque ad confligendum idoneus eſſe poteſt, qui tubarum ſonum, vel Ducis ſui nequit exaudire imperia, non ad illius mandata cedere, inſtare, urgere, non ad interrogata commilitonum aptè reſpondere: qui clypeum petenti ſocio, gladium vel haſtam porrigeret: merito proinde talem mortuo ſimilem dixit Juſtinianus, *l. 29. C. de teſtamentis.* Et quamvis cæcus hæc omnia commodè ſatis percipere valeat, quia tamen executioni mandare nequit Imperatoris juſſa, ignarus quem feriat, hoſtemne an amicum, ideo & hunc ut ineptum removendum cenſeo. Quod ſi igitur ex accidenti aliquo quis mutus, ſurdus, aut cæcus dum ſtipendia meret, factus fuerit, cauſariâ miſſione domum remitti debet, ut bello minùs idoneus, *d. l. 4. ff. de teſtam. milit.* Licet hæc vitia fuerint diſcreta, id eſt, ut ex morbo vel vulnere aut ſurdus devenerit aut mutus. Quominus tamen poſſet ultimum condere elogium, nulla lex prohibet, diſertis contra verbis Imperator illud conceſſit, *l. 10. C. qui teſtament. facere poſſ.* cum teſtamentum fieri facilè ſcripturâ poſſit, ſi vox articulata vel auditus caſu defecerit, *d. l. 10.* Notandum hic obiter, exiſtimaſſe Juſtinianum *in d. l. 10.* aliquem poſſe naturâ ſurdum eſſe, qui tamen non uſque mutus ſit: verùm exploſa jam dudum fuit illa ſententia, & ut erronea à peritioribus rejecta; naturâ namque ſurdus ſonum quidem edere poteſt ac vagitum, ad inſtar animalium rationis expertium & infantum, *l. 7. §. 2. ff. de ſuppellect. legat.* nemini tamen naturâ vocem conceſſit articulatam, eam quippe continuo uſu ac crebrâ ejuſdem ſoni repetitione comparandam eſſe, quotidiana docet experientia.

24. Non minùs rejiciendi duobus orbati teſticulis ac caſtrati; Ovid. lib. 2. amor. eleg. 3.

Non tu natus equo, non fortibus utilis armis:
Bellica non dextræ convenit haſta tuæ
Iſta mares tractent: tu ſpes depone viriles.
Sint tibi cum dominâ ſigna ferenda tuâ.

Hos enim fæminarum magis quam virorum gregí annumeraveris, cum ejuſdem ferè cum illis ſint temperamenti ac frigiditatis: unde & exiguæ plerumque ac acutæ reperiuntur eſſe vocis, & caloris defectu non facilè barbam nutrire queunt. Cælius. Rhodigin. *lect. antiq. lib.* 13. *cap.* 29. Ut autem fœminas, ſic & caſtratos quandoque contigit eſſe in bello ſtrenuos, Ariſtonicum, Ptolomei Regis Egypti, Eunuchum ingenio militari & armis potentem fuiſſe, teſtis eſt Suidas. At ſi quis uno natus fuerit teſticulo, eum jure militaturum Arrius reſpondit ex Trajani reſcripto: nam & Duces Sylla & Cotta memorantur eo habitu fuiſſe naturæ, *l.* 4. *ff. de re militari.* Et ſanè meritò nemo viros illos eſſe negaverit, quos generare poſſe conſtat, *l.* 6. §. 2. *ff. de edilit. edict.* Quare nec ſpadonem ab ordine militiæ removendum eſſe cenſeo; ei quippe leges omnia concedunt, quæ reliquis ſolent indulgeri maſculis. Hinc adoptare poteſt, *l.* 40. *ff. de adoptionibus.* Tutor, curator eſſe *l.*1. *C. de excuſat. tutor.* Matrimonia contrahere *l.* 39. *ff. de jure dot. l.* 14. *ff. de manumiſſ. vindicta.* Et Narſeten Juſtiniani in exercitu præfectum ſpadonem fuiſſe conſtat; refertque Marcellinus *hiſtor. lib.*27. præliando periiſſe natum quendam ſpadonem, exercitus ita bellatorem, ut Sicinio veteri compararetur & Sergio.

25. Fruſtra quoque militiæ quis adſcripſerit in armis tractandis prorſus imperitos: rudis enim multitudo cædibus ſemper eſt expoſita, & minima quæque formidans, fugam magis quam gloriam mediatur: Veget. *de re milit. lib.* 1. *cap.* 1. Cum ex adverſo

adverſo rei bellicæ ſcientia dimicandi nutriat audaciam, & exercitata paucitas ad victoriam promtior ſit. Miltiades undecim ſolummodo millium ſtipatus exercitu fudit immenſas in prælio Marathonio Perſarum copias, Juſtin. *lib.* 2. *cap.* 9. Exiguam lectiſſimorum virorum manum ducens Alexander, univerſam brevi tempore domuit Aſiam. Quapropter non lecti ſtatim tyrones apud Romanos in militum poterant referri numerum, *l.* 42. *ff. de teſtam. milit.* verùm in ſcholis ante militaribus erant exercendi, *l.* 3. *C. de tyron.* ac anno ſæpè integro tyrocinii graviſſima cogebantur onera ſuſtinere, Stewech. *ad Veget. lib.* 3. *cap.* 10. Per turmas hinc inde quotidie concurrere, in orbem ſeſe colligere, phalangem, cuneum facere, decurrere, clamare, cedere, inſtare; ſæpe ſexaginta librarum geſtare molem, quo magis oneribus aſſueſcerent, ſi fortè annonam ſimul & arma portare neceſſe foret, Veget. *de re milit. lib.* 1. *cap.* 19. Ut enim cæteræ artes, ſic præſertim militaris continuâ exercitatione proficit ſcientia: paucos viros fortes natura procreat, bonâ inſtitutione plures reddit induſtria. Quæ ratio eſt, quod & ipſi militiam jam edocti mane & poſt meridiem locum tenere, ſigna ſequi, ordines ſervare, vallum figere, militari gradu incedere ſolerent, Alexand. ab Alexandr. *gen. dier. lib.* 1. *c.* 20. Quo ſuos uſu continuo quiſque dignoſceret ordines, ut licet imi ſummis, primi ultimis, ultimi mediis, medii primis eſſent permixti, quiſque tamen ſuum in ordine locum ſtatim reperire poſſet. Aſſiduis exercitiis Iphicrates Athenienſis in eam milites adduxit peritiam, & conſuetudinem, ut, cum prælii ſignum eſſet ab Imperatore datum, ſine Ducis opera ſic ordinati conſiſterent, ut ſinguli à peritiſſimo præfecto diſpoſiti viderentur, Æmil.

Probus *in vitâ Iphicratis.* Quo autem major eſſet diſcentium erga docentes reverentia, non è vulgo quæſiti ad erudiendos tyrones, non ex imâ plebe lecti in ſcholarum magiſtros; ſed Equitibus & Senatoribus illa Provincia demandata fuit. Teſtis ejus rei Suetonius *in vita Cæſaris cap. 26. Tyrones*, inquit, *neque in ludo, neque per laniſtas, ſed in domibus per Equites Romanos, ac etiam per Senatores armorum peritos erudiebat, precibus enitens, quod ex epiſtolis ejus oſtenditur, ut diſciplinam ſingulorum ſuſciperent, ipſique dictata exercentibus darent.* Hoc ipſum munus volentes quandoque, ac ſpontè Romani ſubierunt Imperatores, & Spartianus Hadrianum commemorat rei militaris ſcientiſſimum gladiatoria quoque arma tractaſſe.

26. Prohibentur inſuper adſcribi militiæ coloni, ſaltuenſes; ne, dum bello fortiter operam navare cupiunt, deſeratur penitùs agrorum cultus, adeoque & paganis & militibus neceſſaria tandem deficiant alimenta, *l. 3. C. qui militare poſſ.* Quod tamen hodie non ſervatur, in tantum, ut teſte Manzio *in comment. ad* §. 12. *inſtit. de rer. diviſ. num.* 45. coloni ac ruſtici ſæpe dolo, aut metu, quandoque in crapula, dum ebrii ſunt, nomen militiæ dare compellantur. Milites etiam eſſe nequeunt negotiatores: *l. un. C. negotiatores ne milit. l.* 31. *C. locati. l.* 15. *C. de re milit.* Neque enim duobus toto genere diverſis unus ſufficere viſus fuit officiis, unde contingeret, ut lucri bono ſtimulatus odore militaria quandoque munera negligeret, ac contemneret diſciplinam caſtrorum: cum tamen jugiter ſignis inhærere, propriis inſudare militiæ muniis, & Rempublicam, à qua aluntur, ab omni bellorum neceſſitate defendere milites oporteat. Cæterùm non leges cuiquam lucri faciendi præri-

pere

pere cupiunt occaſionem, modo non inde quicquam Reſpublica detrimenti capiat, *arg. l. fin. §. fin. C. de re milit.* Neque militiam negotiatoribus interdixiſſent Imperatores, niſi poſſibile vix eſſe cenſuiſſent, emendi, vendendique commercia quemquam exercere, & inimicos pariter oppugnare; de inſtitorum ſimul & caſtrorum cauſis ſollicitum eſſe; eodem tempore rationes ſuas privatas procurare, & excubias agere: Coteræus *de jure milit. lib.* 1. *cap.* 8. Unde & armorum negotiationem à militia non penitùs abhorrere animadvertens Juſtinianus, his ſolis milites eſſe permiſit; adeo ut & armorum mercaturam exercere, & armatam nihilominus militiam retinere valeant, *d. l. un. C. negot. ne milit.* Hodie vero non minus negotiatoribus quam quibuſvis aliis libera conceſſa militandi facultas, modo veniam à caſtrorum præfecto ad illam impetraverint negotiationem; *inſtruct. milit. art.* 79. & cohortem, ſub qua ſtipendia merent, quaecunque ſequantur, neque commiſſas ſibi negligant aut deſerant ſtationes. Dignitatem tamen civilem cum militari retineri vix poſſe putem, veluti ut magiſtratum quis gerat & in numerum militum pariter relatus ſit, eadem de cauſa, qua Decurionibus quondam armatam arripere militiam prohibitum, *l.* 4. *C. qui milit. poſſunt.*

27. Ulterius in milites non eligendi naturâ timidi, & animis infirmi: Bocerus *de bello cap.* 7. *n.* 5. Quam enim obſecro ab ejuſmodi viris expectes victoriam, qui terga & cæcas corporis partes, armis manibuſque deſtitutas, hoſtibus fugiendo obvertunt, nec à dextris armatis ſed à pedibus omne ſibi quærunt præſidium; qui cæteris ad res ſtrenuò gerendas paratis incutiunt timorem, omnes ferme turbant ordines, & univerſum formidine replent exer-

 citum,

citum, dum peſſimos quoſque vaticinantur fore prœliorum eventus, & ipsâ fronte pallidâ metum prodentes, non felix fauſtumve quicquam, ſed imminentia ſola vulnera mortemque funeſto diſpergunt omine. Quamobrem Iſraelitarum quoque Primores ante pugnam publicè denunciare ſolebant, ne quis metu correptus in exercitu prœliantium ſeſe miſceret ordinibus, ne forte animi inconſtantiâ bellicoſa ſecum raperet in fugam agmina. *Deuteron. cap.* 20. *verſ.* 8. Unde & Athenienſium Dux Phocion, cum nonnullus è militibus ſuis ad caſtra perculſos confugere vidiſſet, cæteros, ne rem ſegnius gererent, hortatus, *fugaces illos, ſi cum hoſte conferendum fuiſſet, non modo non utiles, verum etiam forti cuique ac ſtrenuo impedimento fore*, dicebat, Plutarch. *in vita Phocionis.* Præſertim autem meticuloſis annumerandi Thraſones illi Terentiani, vel Plautini Polymacheroplacidæ, qui de prœliis loquuntur, quaſi non exiguum victoriæ momentum attuliſſent, & multa glorioſe ac magnâ pompâ blaterant; cum tamen cæteris maximè pugnantibus illi fugerent maximè, vel poſt principia latentes exiſterent otioſi tragediæ ſpectatores; qui ſolent ante focum acies inſtruere, & inter pocula ridiculo hoſtes debellare conflictu, vel ipſum Alexandrum, ſi verbis negotium perpetrari poſſet, jactabundis oppreſſuri vocibus; quorum tunc humerus eſt aries, baliſta pugnus, cubitus catapulta; quivis denique debellatis demum hoſtibus in audaciam exardeſcentes, quibus interim frigida bello dextera, & ut inquit Euripides *in Phœniſſ.*

Ferox eſt lingua, cor pavitat metu.

Tales potius conquirendi, qui facta ſolent dictis conjungere, hoſtes ferire, præſidia agitare, nihil metuere cupiunt, niſi turpem famam; quibus pugnare,

nare, non fugere propoſitum, nec in pedum alacritate, ſed ſolis lacertorum viribus, omnis conſiſtit fiducia, quibuſque non aliter, ac quondam Alceidæ pueris, teſte Heſiodo *in ſcuto Herculis verſ.*114.
Bello certamen inſtituere res multo gratior quam epulæ.

28. Quia verò mollitiem plerumque comitatur timiditas, etiam effæminatos, belluarum ritu quaſvis voluptates & libidinum ſectantes illecebras, & in omnibus animo indulgentes, removendos è caſtris cenſeo: periculoſiſſimum enim ejuſmodi hominum confidere fortitudini, qui, ubi ventri ſolummodo bene eſt, de cæteris ſecuri ſunt, & facili negotio media in luxurie poſſunt ex improviſo ſuperari. Sic Tamyridis Scytharum Reginæ filius, ubi derelicta Cyri caſtra occupaſſet, & mero ſuos ſeſe replere milites pateretur, eâdem nocte internecione deletus eſt, Juſtin. *lib.*1. *cap.*8. Somno ac vino ſepultam Græci invaſere Troyam. Non ante Sardanapalus, vir muliere corruptior, voluptatum intermiſit uſum, quam per illas victum ſeſe & omnia perdita videret. Diodor. Sicul. *Hiſtor. lib.* 2. Nec felicius ceſſit Atepomani Gallorum Regulo fæda ſpurcities & flagitioſus libidinis æſtus; cum enim bellum Romanis inferens, tunc demum ceſſurum ſe dixiſſet, cum conjuges ſuas Romani ad coitum Gallis expoſuiſſent; illi miſſis ancillis habitu matronali Gallos venere laſſos & oppreſſos ſopore facile profligarunt. Plutarch. *in parallel. n.*57. Licet autem nonnunquam eveniat, luxurioſos iſtiuſmodi milites fortia quædam edere facinora; id tamen deſperationi magis aut alii caſui, quam ipſorum virtuti tribuendum eſt. Julianum audiamus in orat. panegyric. de Conſtantini rebus geſtis hac de re diſſerentem: *ejuſmodi vero homines*, inquit,

quit, *ne fortes quidem prudens ullus appellaverit, tametſi in eorum factie magnitudo quædam appareat atque elucescat; talis enim ille ſolus eſt, qui cum virtute fortis eſt & magnificus: at qui voluptate vincitur, quique iracundiam & omnia cupiditatum genera cohibere non poteſt, adeo ut etiam à minimis oppugnatus proſternatur & deficiat, hic nec robuſtus nec fortis humano quidem genere dicendus eſt.* Et certè invictos ante populos, bellicoſos exercitus, ſola ſæpè corrupit luxuria. Indomitas Hannibalis copias Campanæ ſubegêre deliciæ & tepentes fontibus Bajæ, ut verè dictum ſit Capuam Hannibali Cannas fuiſſe. Florus *lib.* 2. *cap.* 6. Quamdiu Mileſii voluptates contempſerunt, Scythas ſuperarunt; at poſtquam mollitiei ſuccubuerunt, uſque adeo evanuit avita fortitudo, ut in proverbium abjerit; *ſtrenui olim Mileſii.* Athenæus *lib.* 12. Unde nec aliam graviorem Cyrus Lydiis rebellantibus impoſuit pœnam, quam ut equis & armis ademtis, cauponas & ludicras artes & lenocinia exercerent; ita fore ratus, ut gens induſtria quondam potens & manu ſtrenua, effæminatâ mollitie virtutem priſtinam perderet, & quos ante invictos bella præſtiterant, in luxuriam lapſos otium ac deſidia ſuperaret. Juſtin. *lib.* 1. *cap.* 7. Atque illud haud ignorantes ſapientiſſimi quique Duces, omnes è caſtris exulare longe juſſerunt voluptatis illecebras, ut capitales fortitudinis hoſtes. Cretenſes, Lacedemonii, Carthaginienſes ex inſtituto Platonis in omni militia vini potum ut noxium interdixerunt. Alexander ab Alex. *gen. dier. lib.* 3. *cap.* 11. Unde & Antigonum quoſvis legimus ab ordinibus removiſſe luxuriæ deditos; cum enim milites loricatos pilâ ludentes inveniſſet, Duces verò mero ſemet in popinâ ſaturantes, ademtos iis honores mili-

militibus aſſignavit. Plutarch. *in Apopht.* Nec aliud quicquam Scipionem movit, ut in diuturna illa Numantiæ obſidione meretrices univerſas exercitu pelleret, quàm ne luxuriâ militum frangerentur animi. Florus *lib.* 2. *cap.* 18. Et eum imitatus Peſcennius Niger omnia argentea vaſa, velut luxuriæ ſigna, ab expeditionum uſu removeri, & eorum loco ligneis milites uti juſſit; vinum etiam iis dari prohibuit, aceto contentos eſſe cupiens. Spartian. *in vita Peſcennii.* Neque enim olim in caſtris Romani vino ſitim ſedabant, ſed communi cum ſervis utebantur potu, quem poſcam dixerunt, è vini fæce ſeu aceto confectam & aquâ. Taubmann. *in comment. ad Plaut. milit. glorioſ. act.* 3. *ſcen.* 2. Et ad illam veterum reſpicientes in caſtris frugalitatem Imperatores, fluvium *commune militum* appellavêre *poculum*, *l.* 12. *C. de re militari.*

29. Quapropter bello nullos aptiores eſſe, quam ruſticos, & urbanæ plebi in electione longè præferendos, manifeſtum eſt: illi namque nocturnum frigus, diurnos æſtus, inediam, vigilias pati conſueverunt, ſub dio, in opere nutriti, umbræ negligentes, balnearum neſcii, deliciarum ignari, parvo contenti, ad omnem laborum tolerantiam duratis membris, ſudorem ac pulverem campeſtribus collectum exercitiis, in flumine nando abluere ſoliti. Veget. *de re milit. lib.* 1. *cap.* 3. Hinc eſt quod ab aratro nonnullos in exercitum Duces evocatos quandoque fuiſſe videamus, ac ſublatâ ſtivâ ſceptrum iis & imperii habenas ad moderandum eſſe datas: T. Quinctium dictatorem Romani renunciantes legati, nudatum eum & aratro ſulcos ducentem invenerunt. Livius *lib.* 3. Florus *lib.* 1. *cap.* 11.

30. Denique non ſenes facile ſed juvenes potius in numerum militum referendi ſunt; proinde, cum Ser-

Servius Tullius populum in juniores ac ſeniores diviſiſſet, juventuti bella foris gerenda mandavit. Livius *lib.* 1. Quod de vulgaribus tamen ſolummodo militibus ſtatuendum cenſeo: Duces enim quod attinet, illos potius ætate conſpicuos eſſe decet, vel, ut L. Paulus inquiebat (teſte Frontino *de ſtratag. lib.* 4. *c.* 7. *n.* 3.) ſi non annis, moribus tamen utique ſenes: ſenectus enim ſeduci neſcia, ſtata, judicio firmato, ſalubri ac prudenti prædita conſilio. p. m. parens Paulus Voet, *in comment. ad princip. proœm. inſtit. n.* 9.

---- generoſâ ut præditus equus indole,
Et ſi gravetur debili ſenio, tamen
Non rebus abjicit animos in aſperis
Sed acer arrectis ſtat auribus: ita tu
Nos excitas, interque primos is comes;

Inquiebat prædagogo ſuo Oreſtes apud Sophocl. in Electra. Eaque de cauſa laudatum conſtat Alexandri Magni exercitum, quod ibi ordines nemo niſi ſexagenarius duxerit, ut, ſi principia caſtrorum cerneres, ſenatum te alicujus priſcæ Reipublicæ videre diceres. Juſtin. *lib.* 11. *cap.* 6. Et Hadrianum extollit Spartianus, quod nullum Tribunum niſi plenâ barbâ feciſſet, aut ejus ætatis, quæ prudentiâ & annis tribunatus robur impleret. Neque florente Romanâ Republicâ juvenes in exercituum Duces aſſumtos fuiſſe liquet, eo quod iidem plerunque & legiones in bellum educerent, & conſulatus eſſent honore conſpicui: cum tamen iis temporibus ad ſummam hanc in Republica dignitatem regulariter non admitteretur, qui non quadrageſimum tertium attigiſſet ætatis annum. Et certè libentius ſenis venerandi dictis & imperiis obtemperare ſolent feroces in armis milites; cum plerumque quandam ſui reverentiam cani juvenum in animis

animis gignant capilli, ac velut de compoſito majeſtatem præ ſe ferat ut plurimum annorum ſeries.

31. Utrum autem utilius ſit exercitum alere variis conflatum è nationibus, an vero ex una tantum gente conſcriptas habere copias, ſatis à multis agitata eſt controverſia. Et quamvis pro diverſis alii militent nationibus, aliis magis ex uno lectus populo placeat exercitus: non tamen certi quicquam hic facile determinari poſſe puto; verum id Ducis providi prudentiæ penitus & arbitrio committendum eſſe, qui, habitâ circumſtantiarum, loci, temporis, perſonarum ratione, nonnunquam unius, plurium aliquando gentium coget exercitum; cum utrumque ſua diverſo reſpectu commoda ferat & incommoda; ubi enim plures contingit in iiſdem caſtris ſtipendia merere populos, ingens plerunque tumultuum ac ſeditionum imminet periculum, dum ad injuriam uni ex ſociis illatam ulciſcendam facili de causâ ſæpè diſtrictis mucronibus univerſa natio concurrit. Quapropter etiam prudenter apud nos, ubi ſolent ſub eodem Imperatore diverſæ militare gentes, in inſtruct. militari, *artic.* 39. cautum eſt, ne quis in rixâ vel pugnâ vel aliâ quâcunque de causâ nationem ſuam in auxilium advocet, ſtrangulationis pœnâ in conſtitutionis hujus tranſgreſſores propoſitâ. Id vero commodi plerunque producit è diverſis populis collectus exercitus, quod ad obtinendam victoriam longè promptior inveniatur & aptior; ubi enim collatis ſignis cum hoſtibus depugnatur, ſub vexillis ſuis ac Ducibus redactæ ſingulæ nationes laudabili quâdam gloriæ cupiditate & æmulatione concitatæ, ſummis viribus alienæ gentis commilitones peritiæ & fortitudinis militaris laude ſuperare contendunt, adeoque ardentioribus ruunt in hoſtes animis, quam ſi ex unâ ſolum-

ſolummodo natione conſtet exercitus; in quo tamen ex adverſo non eadem facile metuenda ſeditionum calamitas.

CAPUT III.

De variis militum gradibus & ſpeciebus, præſertim de exercitûs Imperatore ejuſque requiſitis.

1. *Milites vel voluntarii ſunt vel inviti.*
2. *Equites vel pedites, & equites peditibus honoratiores.*
3. *Limicanei vel comitatenſes.*
4. *De cohortibus prætoriis & eorum ſtipendiis.*
5. *A diverſis armorum generibus diverſa milites nomina ſortiti ſunt.*
6. *Qui fuerint equites cataphracti?*
7. *Qui velites ac pilani?*
8. *Qui haſtati, principes ac triarii?*
9. *Enumerantur machinæ bellicæ majores.*
10. *Quid ſit exercitus?*
11. *Quæ legio, & quæ ejus partes?*
12. *Quid per legionem, quid per vexillationem deſignetur, ſi hæ inter ſe opponantur?*
13. *Cujacii ſententia refellitur.*
14. *Ut & Turnebii opinio.*
15. *Proponitur autoris opinio.*
16. *De legionis & partium ejus præfectis.*
17. *De hodiernis exercitibus.*
18. *De nitri-pulveris præſtantia, cujus primus autor defenditur adverſus atroces nonnullorum calumnias.*
19. *In exercitu penes unum, non penes plures ſummum reſidere debet imperium.*

20. *Op-*

20. *Optimus quiſque in belli Ducem eligendus.*
21. *Ab exercitûs imperatore maxima dependet ejus ſalus & felicitas.*
22. *Requiritur in ſupremo Duce maxima rei militaris peritia.*
23. *Illa lectione & experientiâ acquiritur.*
24. *Præter rei militaris peritiam, etiam aliarum artium ac diſciplinarum ſcientia in Duce neceſſaria, rejectâ Naudei ſententia.*
25. *Ante omnia in imperatore pietas in Deum requiſita.*
26. *Etiam in eo neceſſaria eſt fortitudo, & ut exemplo ſuo milites ad ea, quæ imperat, peragenda ſtimulet.*
27. *Spem vultu ſimulare debet imperator, & premere corde dolorem, ſi quæ adverſa videantur imminere.*
28. *Summa requiritur in eo prudentia ad procurandum ad exercitûs ſalutem neceſſaria, præſertim ut crebro milites exerceat.*
29. *Expeditum ducere debet exercitum ſarcinis non onuſtum.*
30. *Non temere fides adhibenda transfugarum dictis ac conſiliis.*
31. *Non intercludenda hoſtibus fugæ via; ſed propriis potius Militibus imponenda confligendi neceſſitas.*
32. *Nec in ſuperatos hoſtes gravi ſæviendum ſupplicio.*
33. *Requiritur etiam in imperante autoritas.*
34. *Eamque maxime conſervabit illæſam, ſi curet ne differatur ſtipendii ſolutio.*
35. *Omnis Imperatori evitanda occaſio, quâ colluſionis cum adverſariis incuſari vel ſiniſtra de ipſo concipi poſſet opinio.*
36. *Autoritatem Imperatori conciliat, & perquam neceſſaria eſt, comitas & affabilitas.*
37. *Ut & eloquentia militaris.*
38. *Anniti debet Imperator, ut vitia quæcunque, quan-*

quantum per humanam infirmitatem licet, evitet.
39. *Multum prodeſt in acie imperator in præliis felix.*
40. *Non tamen ex præliorum eventu ſemper de imperantis prudentiâ vel peritiâ judicandum eſt.*

DIximus hactenus, qui & quales debeant eſſe millites, exigit deinceps inſtituti ratio, ut varias exhibeamus illorum diviſiones, quas quidem enumerant ampliſſime rei militaris ſcriptores; eas vero quatenus noſtro queunt inſervire propoſito, curſim tantum libare nobis animus eſt.

1. Alios itaque voluntarios Romani milites appellarunt, qui proprio animi motu militiæ ſemet offerunt, alios compulſos ſeu coactos, quibus invitis expeditionum imponitur onus, *l.* 4. §. 10. *ff. de re militari.* Communi tamen invaluit hodie loquendi uſu, ut illi ſoli dicantur voluntarii, quibus ex ærario ſtipendia non numerantur, quique propriis impenſis in bello Reipublicæ ſub certis ordinibus operam navare ſolent.

2. Inſuper alii pedites ſunt alii equites. Quod ſi quæras, utrum militia pedeſtris equeſtri an vero hæc illi præponenda ſit; equites dignitate peditibus antecellere communem ferè omnium opinionem eſſe reſpondeo. Diſertis verbis apud Livium *lib.* 3. nobis illud dictat ad equites verba faciens Conſul Valerius; *agite*, inquit, *juvenes*, *præſtate virtute peditum*, *ut honore atque ordine præſtatis.* Quapropter & Maximilianus, ſecundus Germanorum Imperator, *inſtruct. milit. art.* 51. præcipit, ut equiti in caſtris vel præſidiis occurrens pedes de viâ paulum recedat. Diviſi iterum equites in alares & legionarios: alares ſunt, qui utrumqne protegunt exercitus latus. Alæ autem ideo dictæ, teſte A. Gello *lib.* 16. *cap.* 4. Quod equitum ordines circum legiones

giones dextrâ ſiniſtrâque tanquam alæ in avium corporibus locarentur. Legionarios verò equites illos eſſe dicit Vegetius *de re milit. lib. 2. cap. 1.* qui ſingulis ſunt connexi legionibus.

3. A diverſis præterea locis, ubi militiæ ſolent obire munera, vel comitatenſes dicti milites vel limitanei, *l. fin.* §. 8. 9. *C. de offic. præfect. prætor. Africæ.* Comitatenſes ſunt, qui perpetuò in expeditione verſantes ubique caſtra ſequuntur, *d. l. fin.* §. 8. Unde & comitatenſes legiones Arcadius & Honorius Imp. illas appellarunt, & riparenſibus quæ longe à patriâ ac velut in hoſtico cum exercitu degebant, adæquarunt in *l. 14. C. de re militari.* Quandoque tamen & illi comitatenſes dicti numeri, qui præſenti Principis obſequio deſtinati ſunt, & in ejus perpetuo agunt comitatu, palatinis ſimiles militibus, *l. 13. 14. in princip. C. de re milit.* Cæterùm hic obſervandum, præter hos etiam alios ad Principis cuſtodiam fuiſſe lectos: Romulus namque trecentos olim ex omni populo delegit equites, celeres appellatos, quod pernicibus veherentur equis, eoſque tam pacis quam belli tempore ſecum in corporis tutelam circumduxit. Liv. *lib. 1.* Et hunc imitatus Imperator Galba, teſte Suetonio in ejus vitâ *cap.* 10. ex equeſtri ordine ſibi juvenes aſſumſit, qui vice militum excubias circa cubiculum ejus agerent, & evocatorum nomen iis impoſuit. Verùm hæc obiter, ad inſtitutum revertamur; limitanei ſunt, quibus & caſtrorum defenſio, & civitatum limitanearum demandata protectio, &, quod in his ſingulare, agrorum conceſſus impune cultus, *l. fin.* §. 8. *C. de offic. præfect. prætor. Africæ.*

4. Ad hæc in exercitu repertæ plerumque cohortes prætoriæ ſub legionibus non comprehenſæ, electa ſcilicet fortiſſimorum militum ac Ducis fa-

miliarium manus, circa illum uſque pugnare, & ubique eum comitari ſolita, Valtrinus *de re milit. lib.* 3. *cap.* 7. Hi dignitate ſupra alios eminebant gregarios, & ſeſquiplex accipiebant ſinguli ſtipendium, uti id ex Feſto probat Stewech. ad Veget. de re milit. *lib.* 2. *cap.* 2. adeo ut toto cælo dicendus ſit erraſſe Chriſtinæus, cum *tom.* 5. *deciſ.* 163. prætorianos ſextuplex aſſerit meruiſſe ſtipendium. Non eum tamen falli putem, qui duplex illos Auguſti & Tiberii temporibus ſtatuerit habuiſſe ſtipendium: apud Tacitum namque *annal.* 1. *cap.* 17. Percennius, cum concionabundus dixiſſet denis in diem aſſibus animam & corpus gregariorum æſtimari, tandem ſubjungit; *an prætorias cohortes, quæ binos denarios acciperent, quæ poſt ſexdecim annos penatibus ſuis redduntur, &c.*

5. Cum verò penes Romanos hæc obſervata fuerit conſuetudo, ut milites electos inermes domum remitterent, renunciato ſolummodo ac conſtituto certo die, quo in unum jubebantur convenire locum, ubi ſua ſingulis à Republicâ diſtribuerentur arma, Polyb. *lib.* 6. *l.* 15. *C. de re militari.* Factum eſt, ut à variis armorum generibus varia quoque nomina iis imponerentur; adeoque nonnulli cataphractarii, aliqui velites, pilani alii, quidam haſtati, pars principes, reliqui triarii dicerentur, qui omnes quantum à ſe invicem differant, ex ſingulorum armis poterit dignoſci; quapropter ea paucis expediam.

6. Cataphracti ſeu cataphractarii erant à capite ad calcem armati equites, equis inſidentes, quibus impoſita lintea operimenta ferreis vel æneis contecta laminis ad inſtar plumarum: unde non ſecus, ac ſi Stygiâ penitus eſſent tincti palude, invulnerabiles ſine metu in confertiſſimas hoſtium ruebant turmas, perrumpentes quicquid eſſet obvium; hoc tamen

tamen uno laborantes incommodo, quod in hoſtium facile pervenirent poteſtatem, propter immenſum armorum pondus, quo preſſi, ſi quidem à repente pedite interemtus eſſet equus, immobiles fermè efficiebantur. De his latius vide Veget. *de re milit. lib.* 3. *cap.* 23. *ibique Stewech.* Non omnes autem penes Romanos cataphractarii fuerunt equites; ſed & alii loricâ, ſcuto, gladio & haſtâ ſolummodo muniti.

7. His vero, ubi in prælio manus cum hoſte forent conſerendæ, velites adjungebantur, ſcuto, gladio & haſtâ ſeu pilâ armati, ac è natu minimis & tenuis fortunæ conſcripti civibus, Polyb. *lib.* 6. ſic dicti quaſi volites id eſt volantes: eo quod ad depugnandum eſſent omnium maxime expediti: veloci enim ſeſe ſaltu jungebant equitibus, & unà cum iis in medios invecti hoſtes, pedeſtre inter equites tentabant certamen, atque ita facili negotio equos pariter confodiebant & eorum rectores, Valer. Maximus *lib.* 2. *cap.* 5. *n.* 3. ubi & eorum exhibet originem. Cæterùm velites, ſi equitibus non miſcerentur, pilanos appellatos eſſe puto, cum Polyb. *lib.* 6. illos ex ejuſdem conditionis viris lectos, iiſdem indutos armis afferat.

8. Haſtati pilanis erant adultiores, clypeo, enſe Hiſpanienſi ancipite, galeâ, crurum tegmine, & duobus verutis utentes; & hi olim in prima ſolebant acie collocari; quorum ordo, ſi hoſtili fuiſſet impetu turbatus, inimicorum vim excipiebant principes, viri ætate ac robore præſtantes, & iiſdem, quibus haſtati, rem armis gerentes. Ultimum obtinebant in acie locum triarii, omnium maximè ætate provecti, eodem quo principes armorum genere depugnantes, niſi quod pro verutis haſtas vibrarent. De his latius Polyb. *lib.* 6. Poſtea tamen

hic quoad militum in acie diſpoſitionem mutatus ordo, ac in ejus locum ſucceſſit ille quem exhibet Veget. *de re militari. lib.* 3. *cap.* 14. De armorum interim forma, magnitudine, latitudine, longitudine, ſi quis latiorem quærat interpretationem, de iis ſatis luculenter diſſeruerunt Valtrinus *de re milit. lib.* 3. *cap.* 12. Panciroll. *rerum memorabil. part.* 1. *tit.* 24. *ibique Salmuth. in comment.*

9. Fuerunt autem præter arma etiam aliæ (ut hoc paucis moneam) ad urbium expugnationes comparatæ machinæ, unà cum exercitu in expeditionibus circumvehi ſolitæ, veluti arietes, teſtudines, vineæ, plutei, muſculi, turres, baliſtæ, ſcorpiones, catapultæ, quæ omnia, ne tædium æquo lectori pariam, delineare ſuperſedeo; de his latè ſcripſerunt Veget. *de re militari lib.* 4. *cap.* 15. 16. 17. 18. *&* 22. Panciroll. *in tract. de rebus bellicis impreſſo poſt comment. ad notit. utriuſque imperii.* Valtrin. *de re milit. lib.* 5. *cap.* 6. Roſin. *antiquit. Rom. lib.* 10. *cap.* 16.

10. Porro ingens militum multitudo ſi congregata fuerit, exercitum conſtituit; eſt enim exercitus compoſitus ex numeris multis militum, *l.* 2. §. 1. *ff. de his qui notant. infam.* & plerumque conſtat ex legionibus, quæ milites Romanos, & optionibus, quæ ſociorum auxilia complectuntur, *l. fin. C. locati.* Quanquam dubium non eſt, quin & ex una legione cum ſuis auxiliis formari poſſit, *d. l.* 2. §. 1. *ff. de his qui not. infam.*

11. Legio autem in varias partes dividitur: habet enim cohortes, habet centurias, habet decurias, *l.* 2. §. 1. *ff. de his qui notant. infam. l.* 2. *C. de hæreditat. decurionum &c.* At huic legionis in cohortes diſtributioni non parum adverſantur ea, quæ Diocletianus & Maximinus Impp. reſcripſerunt in

l. 3.

l. 3. C. de his qui non implet. ſtipend. ubi legioni cohortem videmus oppoſitam: ut abſurdum videri poſſet, hanc illius velle partem conſtituere: ſic enim inquiunt; *veteranis ita demum onerum & munerum perſonalium vacatio jure conceditur, ſi poſt vigeſimum annum militiæ, quam in legione vel vexillatione militaverint, honeſtam vel cauſariam miſſionem conſecuti eſſe oſtendantur; unde, cum te in cohorte militaſſe commemores, intelligis ſupervacuo vacationem tibi velle flagitare.* Verùm ſi accuratius poſteriora legis verba trutinentur, non ineptè cum Bartholo *ad d. l. 3.* hic verus dici poterit illorum ſenſus, ſupervacuo ſcilicet illum petere vacationem, qui in cohorte ſe militaſſe commemorat, cum ipſo jure à muneribus immunis ſit, & veteranorum gaudeat prærogativis, modo de viginti conſtet ſtipendiis; quia ſub legione militantes vacationem habent: at verò certum eſt, illum qui in cohorte militavit, etiam ad aliquam pertinuiſſe legionem. Vel ſecundo reſponderi poteſt, per cohortem in *d. l. 3.* non intelligendam eſſe legionis partem, ſed aliam quam militiam cohortalem deſignari, quæ in *l. 4. C. qui militare poſſ.* armatæ opponitur: cohortalis enim conditionis homines præſidis erant apparitores, in provinciis perpetuò commorantes, & per omnem vitam huic miniſterio obnoxii: ut hi fruſtra vacationem peterent, Cujac. *ad tit. Cod. ſi quis decuriali vel cohortali aliave condit.*

12. Non immeritò etiam hic quiſpiam quæſierit, quid per legionem, quid per vexillationem denotetur, ſi contigat hæc inter ſe opponi, & in legione militantem diſtingui ab eo qui militat in vexillatione, ut *in l. 2. C. de hæred. decurion. l. fin. C. de his qui non implet. ſtipend. l. 9. C. quando provoc. non eſt neceſſe.* Non una enim hac de quæſtione docto-

doctorum opinio: Cujacius *ad d. l. fin. C. de his qui non implet. ſtip.* exiſtimat, per vexillationem deſignari numerum, numerum à legione ſeparati.

13. At veniam mihi dari deſidero, quod ſummi viri reſponſo nequeam acquieſcere: quo minus enim id poſſim, prohibet generalis illa numeri ſignificatio, quâ tantum abeſt ut à legione numeri ſeparentur, ut etiam legio numeri veniat appellatione *arg. l. 42. ff. de teſtament. milit.* ubi nulli militaribus frui dicuntur prærogativis, nec milites eſſe, niſi poſtquam in numeros relati ſunt: extra omnem vero dubitationis aleam eſt conſtitutum, milites in legione ſtipendia merentes omnibus militaribus gaudere privilegiis, proinde & in numeris eſſe; unde manifeſtum eſt, & legiones eſſe numeros.

14. Adrianus Turnebius *adverſar. lib. 5. c. 2.* vexillationes putat eſſe milites veteranos exauctoratos, id eſt, miſſos quidem; ſub ſignis tamen retentos, donec præmia & agros acciperent. Verum nec huic viri litteratiſſimi facile ſubſcripſerim ſententiæ; obſtat enim *l. 9. C. quando provocare non eſt neceſſe* ubi *veteranis*, inquiunt Impp. *qui in legione vel vexillatione militantes poſt vicena ſtipendia honeſtam vel cauſariam miſſionem conſecuti ſunt &c.* è quibus apparet, milites, & antequam miſſionem impetraſſent, ſub vexillatione militaſſe æque ac ſub legione: proinde non ſolis vexillationem veteranis eſſe propriam. Verum quidem eſt, ex Tacito conſtare, veteranos adhuc apud vexillum retentos fuiſſe; non liquet tamen uſpiam, numeros illos ſpeciali nomine vexillationes appellatos.

15. Ut igitur quæ mea ſit ſententia paucis exponam; ſalvo doctiorum judicio duplicem vocabuli vexillationis eſſe cenſeo ſignificationem, ſtrictam, & latam: quod ſi illud ſtrictè velimus interpretari,

nihil aliud deſignabit, quam equites alares: ita enim Veget. de re militari lib. 2. cap. 1. *equitum Alæ dicuntur ab eo, quod ad ſimilitudinem alarum ab utraque parte protegant acies, quæ nunc vexillationes vocantur.* Turnebius *d. loco.* Si vero in latiori accipiatur ſignificatione, omnes omnino legionis centurias ac cohortes appellari poſſe puto vexillationes, eo quod unaquæque centuria proprium habuerit vexillum, cui cohortis & centuriæ numerus inſcriptus erat, ut ita diſperſi ac disjecti in prælio milites facilius ordines repetere, ac priſtinum in illis locum recuperare poſſent. Veget. *lib. 2. de re milit. cap.* 13. Sic ut tunc idem vexillatio denotet quod numerus, & utrumque æque latè pateat. Nec leve huic vocis interpretationi momentum adfert, *l.* 8. *C. de erogat. milit. annonæ*, ubi numeri vocabulum per vexillationem explicatur; ſic enim inquiunt imperatores, *omnium itaque numerorum ſive vexillationum, aut etiam ſcholarum tribunos &c.* & ex Tacito *hiſtor. lib.* 2. *cap.* 18. conſtat abundè, vexillariorum nomine ſimpliciter appellatos pedites; *mille*, ajit, *vexillarios cum paucis equitibus veterano exercitui objicere.* Quoties autem in legione militantes ſecernuntur à militantibus in vexillatione, nec legis ſenſus admittit, ut per vexillationem equitum deſignetur ala, ſicut id reſpuit *l.*9. *C. quando provoc. & l.* 3. *C. de his qui non implet. ſtipend.* Tunc, ſi quidem conjecturis indulgere liceat, militantes in legione per excellentiam appellatos cenſerem primæ ſolummodo cohortis in unaquaque legione milites, eo quod hi totius legionis ſignum commune, aquilam ſcilicet, cuſtodirent, & Imperatorum effigies ac præſentia ſigna venerarentur; quodque numero & dignitate cæterarum cohortium milites longè ſuperarent, & majoribus

quam reliqui gauderent privilegiis, Veget. *de re mi-lit. lib.* 2. *cap.* 6. In vexillatione verò militantes dictos cæterarum cohortium milites, quibus præter vexillum cohortis & centuriæ nomine notatum, nulla alia ſigna ad cuſtodiendum data erant.

16. Cæterùm in legione cohortes erant decem, manipuli triginta, centuriæ ſexaginta, A. Gellius *lib.*16. *cap.*4. tribus cohors conſtabat manipulis, ſex centuriis, & hæ iterum in decurias diſtinctæ. Omnibus verò & ſingulis hiſce exercitûs partibus ſuos eſſe Duces neceſſe fuit: uti enim magiſtratibus opus eſt, ſine quorum prudentia ac diligentia (ut *ait Cicero* 3. *de legibus*) civitas eſſe non poteſt; ita ſine Ducibus exercitûs compages conſiſtere nequit: ſi non eſſent in exercitu tam præpoſiti quam parentes, tam Duces quam milites, mera ſtatim oriretur confuſio, & omnia ad intricatiſſimum redigerentur chaos, ubi cunctâ perenni committerentur contentione. Qua de cauſa decuriis præerant Decani, manipulis ſingulis duo centuriones, quorum ſi alter abeſſet, alter univerſo imperitabat manipulo; atque hi ordinum dicebantur ductores, ſibique totidem eligebant tergi-ductores: univerſæ legioni præpoſiti Tribuni, qui non peditibus tantum, ſed & legionis ſuæ equitibus Imperatoris quotidiana exhibebant mandata. Per Duces autem hos ſubalternos ſupremo ſociantur præfecto milites vulgares, & eorum adminiculo ſummi copulantur imis: ab Imperatore mandata recipiunt legionum præfecti; eadem ab his per inferiores ad omnes tandem derivantur milites, atque ita in exercitu cuncta legitimâ cohærere videmus harmoniâ: teſtis hujus rei Polyb. lib. 6. *Equites*, inquit, *ordinumque ductores omnes oriente luce accedunt ad Tribunorum tentoria, Tribuni ad Conſulem; ille quod inſtat agen-*

dum

dum Tribunis edicit; Tribuni equitibus ordinumque ductoribus; ii multitudini promunt tempore opportuno.

17. Hodiernos quod ſpectat exercitus, illi legionibus conſtant equitum, & legionibus peditum; non equitum pedites, nec equites peditum legioni miſcentur, & vulgò vocantur regimina: equitum legio ſecatur in turmas; peditum in cohortes dividitur, Bocerus *de bello cap.* 10. *n.* 11. De quorum ordinatione legitimâ ac diſpoſitione, linguâ Belgicâ ſcripſit inter noviſſimos Gerard. Melder *tract. de fortificat. part.* 3.

18. Longè enim alia hodie præliandi, aciem inſtruendi, milites diſponendi ſervatur ordo, poſtquam pulveris pyrii & tormentorum conficiendorum fuit à Germano quopiam, uti ferunt, Monacho methodus excogitata circa annum 1378. aut paulò antè: de quo latè Panciroll. *rerum memorabilium part.* 2. *tit.* 18. *Ibique Salmuthus.* Philip. Camerar. *oper. ſubciſiv. part.* 2. *cap.* 28. *& part.* 3. *cap.* 82. 83. p. m. parens Paulus Voet *diſputat. phyſica prima de nitri pulvere.* Evanuit ex illo tempore Romanorum militum vetus armatura, nulla ferè clypeorum, nulla arcuum remanſit utilitas, periit baliſtarum, catapultarum, ſcorpionum, arietum uſus, neque quicquam commodi affert eorum uſque adeo laudibus apud veteres elata vis atque violentia. Quod ſi reviviſcerent antiqui Heroes, ſi prodiret Alexander, ſi Cæſar reſurgeret, ſi redirent Scipiones, gemina illa belli fulmina, quot unuſquiſque illorum ad horrendos harum machinarum ſtrepitus non ſummo foret animi ſtupore correptus? Non fulguris ac terreſtrium tonitruum miraretur efficaciam? non beatum denique prædicaret ſeculum, quo novellum hoc ad res ſuas repetendas, & propulſandas injurias adinventum remedium?

medium? Sic ut tolerandi minimè ſint, qui inſigne hoc inſtrumenti genus unà cum autore ſuo deteſtantur, & diris perſequuntur execrationibus; orbis luem, monſtrum, Stygium magiſtrum vocitantes, dignum, qui, ut olim Perillus taurum æneum, ita & ipſe tormentum hoc primus experiretur, natum in generis humani perniciem, dæmonem habuiſſe magiſtrum, & innumera alia, de quibus Salmuth. *ad Panciroll. d. tit.* 18. Eos enim, cum in immerentem tantis baccharentur furoribus, invidiæ ſtimulis, ne quid ſequius dicam, agitatos, & accuſandi magis vel inſaniendi libidine, quam animo rectè judicandi inſtigatos fuiſſe credibile eſt, id unicum ægrè admodum ferentes, alterius induſtriâ in eruendis abſtruſis naturæ miraculis ſeſe ſuperatos eſſe. Enimvero, ſi egregium ſemper habitum fuerit, omnium rerum naturam, vim & effectus anxius ſcrutari, ſi laudabile ſit univerſas ingenii vires intendere ad exhibendum orbi, quicquid hactenus hominum ſocordiâ vel negligentiâ fuit reconditum; quid in eo culpandum, qui novum ac ne ſperatum quidem ante à quopiam excogitavit ſimplicium temperamentum ac mixturam? quodnam ille crimen commiſit, aut quid tam acroci injuriâ dignum perpetravit, qui curioſum ſolummodo ſeſe profeſſus eſt cauſarum naturalium indagatorem? Si in exitium virorum fortiſſimorum è latebris eductam hanc dicas à Monacho machinam; omnis iræ æſtus & impetus in reliquorum prius armorum architectos erit excutiendus; criminationibus inceſſendi prius, qui ante hunc catapultas, tela, baliſtas, cæteraque belli adinvenerunt inſtrumenta; accuſandi magis forent qui in hominum perniciem tormentorum dirigunt ictus, quam primus illorum fabricator.

Tan-

Tantùm autem abeſt, ut juxta quorundam opinionem interiiſſe dici poſſit hoc commento viri virtus, ut eam potius auctam eſſe non dubitem aſſerere: cum enim non à corpore, ſed ab animâ virtus dependeat & ducat originem, tormentis hiſce effectum, ut generoſos ab ignavis facili negotio milites ſecernere liceat, dum omnibus minitatur æqualiter idem ineluctabile fatum: unde contingit, ut illi, qui pericula vulnera mortemque metuunt, quanquam corpore robuſti, non ſponte tamen primam in acie ſibi quærant ſtationem, ſed ſeceſſum potius, viris ſtrenuis & animis ingentibus, tanquam vallo vel clypeo adverſus hoſtium utentes impetum, & aſſiduo poſt eorum terga latentes.

19. Denique cum ex legionibus cogatur exercitus, ut ante dixi, in eo quempiam ſummum expedit obtinere imperium: exercitus quippe ſine Duce nihil aliud eſt quam corpus ſine capite, vaſta, ſed imperfecta quæpiam, mutila ac manca moles, quæ illico in partes ſcinditur, ac monſtroſa efficitur ſine artuum ac membrorum diſcretione. Unum autem, non plures eſſe uno in exercitu rationi magis conveniens eſt, & Reipublicæ maximè conducit: uti enim orbis ferre duos ſoles nequit juxta Alexandri magni effatum; ita quoque unus exercitus ſummos vix patitur duos Imperatores; atque uti monſtrum horrendum eſt corpus duobus eminens capitibus, ſic etiam uni exercitui præeſſe duos dignitatis æqualis ſummos Duces prodigii ſimile eſt: ſocietatem ſcilicet non ſuſtinet dominatio, & omnis conſortis impatiens poteſtas, neque parem ferre potuit Pompejus. Et certe, ſi æquâ hæc falce putemus, multa videbimus à duobus in eodem exercitu pari poteſtate præditis, nec ibi ſuperiorem agnoſcentibus, imminere plerumque Reipublicæ incommoda; vel enim,

enim, dùm uterque ſedulò curare creditur ea, quæ bono publico inſerviunt negotia, neuter ſæpè curat. Vel ſi communis uterque quærat emolumentum & ſalutem patriæ, quandoque fit, ut inter ſe mutuo ſententiis diffideant Imperatores, &, dum rixando tempus teritur, nec alter in alterius tranſit opiniónem, optata rem proſperè gerendi elabatur occaſio. Quid enim ſi contrarius in negotiis agendis utrique ſit animus; alter in aciem educendum, vallo continendum alter cenſeat exercitum, exiguis hic copiis, omnibus ille viribus decertandum exiſtimet, quiſnam obſecro litem hanc dirimet? niſi fortè novus utriuſque conſenſu conſtitutus fuerit arbiter, ſuam interpoſiturus autoritatem. Quid quod omni tempore docuerit experientia, non ex animi ſententiâ, vel quod illud, quod urgent, optimum factu putent, ſed ſummo plerunque invidiæ ardore, ac contentionis ſtudio, mutuâque diffidentiâ agitatos à ſe invicem diſcrepare, & in contrarias opiniones ire in pari dignitatis gradu conſtitutos; quos & in eodem exercitu mutuis vidimus & implacabilibus concitatos odiis atrocia in ſe invicem diviſis copiis moviſſe bella. Alexandri magni ſucceſſores ſolummodò contemplemur, qui cum in eodem omnes apud Regem eſſent honore habiti, nec ille quemquam ex iis regni deſignaſſet heredem aut tutorem; aſperrimis primum dictis, mox armis inter ſe contenderunt; unde evenit, ut ampliſſima monarchia vixdum enata & adhuc primam gentes inter infeſtas ætatem agens, in varias ſcinderetur partes, & exiguo temporis ſpatio vix ulla florentiſſimi, ac ſummâ virtute parti principatûs apparerent veſtigia. Quod & olim metuentes Romani, non ambos uni exercitui præpoſuere conſules; verùm ſuas ſingulis tradidere legiones, ſua ſingulis auxilia aſſigna-

aſſignarunt. Quod ſi urgente neceſſitate propter hoſtium forte formidabilem potentiam conſules duo caſtra jungerent, non penes utrumque ſimul ſummum reſidebat in milites imperium; ſed alternis ſinguli diebus imperitabant, alternis parebant, ad inſtar Caſtoris & Pollucis. Id manifeſtè nobis declarat Livius lib. 31. *Ut eo modo*, inquit, *una cauſa, ne extemplo flumen tranſirent, tenuerit Romanos, quod ſumma imperii eo die penes Paulum fuerit; itaque Varro poſtero die, cui ſors ei diei imperii erat, nihil conſulto collegâ ſignum propoſuit.* Quamobrem & in rebus arduis, dubiis & ancipitibus, ne conſules pari Romæ dignitate diſſentiendo perire finerent Rempublicam, Dictatorem cum libera poteſtate creare ſolebant. Ajala *de jur. & offic. bell. lib. 2. cap.* 3. *n.* 2. 3. ubi plures enumerat dictaturâ functos.

20. Non quilibet autem indiſtinctè præponendus exercitui, verum optimus in militiæ Ducem eligendus; *naturæ enim eſt*, ut inquit Seneca epiſt. 90. *potioribus deteriora ſubmittere, mutis quidem gregibus aut maxima corpora præſunt, aut vehementiſſima: non præcedit armenta degener taurus, ſed qui magnitudine ac toris cæteros mares vicit, elephantorum gregem excellentiſſimus ducit.* Omnis enim ferè ab Imperatore dependet exercitûs fortuna ac virtus; ſi Dux bonus fuerit, non deerunt Duci boni comites, non ſtrenui milites. Non illum tamen optimum ſtatim dixeris, utique non hodie poſtquam tormentorum invaluit uſus, qui cæteros corporis mole ſuperat, non Imperatori quicquam commodi tribuit, quod inter alios toto vertice emineat, quo nomine laudatus quondam Saulus, Turnus, Porus, aliique, qui vel ſolo poterant aſpectu metum ſuis incutere adverſariis: cum enim hodie contra tormentorum ictus invulnerabilem ſeſe armorum

morum munimentis nemo queat efficere, robuſti ſatis ſunt, qui laborem, frigus, æſtum, vigilias, in milite requiſita ferre poſſunt: neque quiſquam prodigioſas formidat in inimico corporis vires, & flocci fiunt monſtroſa Goliathi ac ſimilium quondam Heroum pondera: nunc hominis pars melior præcipuum in bello obtinet uſum; animis opus eſt, & qui ſummam in mentis conſtantia ponunt confidentiam, fortiſſimorum nominibus inſigniuntur; intrepidi, licet exiguæ ſtaturæ viri, maximè laudantur, qui non temerè, ſed judicioſo circumſtantiarum habito diſcrimine, caput objectare periculis uſque parati ſunt, nec glorioſam pro patriâ mortem oppetere detrectant: qui in ſummis periculis, & circumvolantibus undique mortiferis globis, mentis ſunt benè compotes, imperterrito vires inimicas luſtrantes oculo; & ſedato ac ab omni iræ, metus, odii, cæterarumque affectuum æſtu alieno inter hoſtium agmina verſantur animo, non magis in atrociſſimis adverſariorum furiis turbati, aut morientium conſternati gemitibus, quam ſi feſtivis intereſſent conviviis, & amicæ familiarium indulgerent confabulationi.

21. Non hic lectori benevolo nauſeam me pariturum ſpero, ſi perfecti Ducis aliquam proponam delineationem, & paulò latius ejus exhibeam ideam; præſertim cum pleraque nutui ejus & imperio ſubjecta ſint, & in eo conſiſtat omne exercitûs robur: verè namque proditum eſſe inquit Florus *lib.* 2. *cap.* 18. *tanti eſſe exercitum, quanti Imperatorem.* Et unius Alexandri ſeſe ſpiritu vivere palam profeſſi ſunt in expeditione Macedones. Curt. *lib.* 9. *cap.* 5. Unde & merito, cum iidem illi invito Rege in patriam redire & domeſticos deſiderarent inviſere lares, erupit in hæc verba Pellæus juvenis; *jam*

jam ſcietis, & quantum ſine Rege valeat exercitus, & quid opis in me uno ſit. Curt. *lib.* 10. *cap.* 2.

Non autem ſpeciatim hic determinabo caſus, non ſingula, ad quæ Ducem attendere fas eſt, examinabo; id in bello nutritis relinquo; generales tantum in eo requiſitas enumerabo virtutes, Ciceronis ſummi illius oratoris imitatus exemplum; is enim in oratione pro lege Maniliâ; *in ſummo Imperatore quatuor hæ virtutes ineſſe debent, ſcientia rei militaris, virtus, autoritas, felicitas.*

22. Primùm itaque ſumma requiritur in Duce rei militaris ſcientia; quo enim pacto poſſet aliis imperare, qui rerum penitùs ignarus eſt? qui militibus mandata dare, qui quid fieri debeat ipſe nunquam didicit? addit confidentiam peritia, dimicandi nutrit audaciam ſcientia rei bellicæ, ut inquit Veget. *de re militari lib.* 1. *cap.* 1. neque quiſquam facere metuit, quod ſe bene didiciſſe confidit. Quadrageſimum ſtipendium Cæcinna parendi aut imperitandi habebat, *ſecundarum ambiguarum rerum gnarus*, teſte Tacito ann. 1. c. 64. *eoque interritus.* At qui in tantâ re omnium imperitus eſt, trepidat, feſtinat, ſic ut, ſi non aliquem ſumſerit è populo officii ſui monitorem, ac imperare juſſus alium ſibi quæſiverit Imperatorem, ferretur equis auriga, nec audiret currus habenas, ac præter generis ſuis naturam conſternati milites in præcipitium ruerent. Neque aliud quicquam Phaëtontis infortunio deſignare voluit ſub fabularum involucris veritatem occultare ſolita veneranda antiquitas, dum fingebat, eum ſolis currum moderantem non ſibi tantum & univerſæ huic mundi compagi, ſed & ei, qui frenum ipſi commiſerat, ferè exitium intuliſſe. Bellicoſiſſimos ſanè Ducis imperitia ſæpè perdidit exercitus; imperantis amentiâ è fortiſſimis con-

ſcriptæ

ſcriptæ copiæ militibus in fugam verſæ. Quot non demiſit ad orcum viros ſtrenuos Præpoſiti veſania? Quis omnes illos illuſtres enumeret heroas, qui Imperatoris inſcitiâ inevitabile ſubiere fatum? Pleni ſunt annales, plenæ omnium temporum hiſtoriæ exemplis calamitatum, quibus occaſionem præbuit exercitum regentis imperitia. Nunquam internecione cæſus à Cyro fuiſſet Tomyridis Scytharum Reginæ filius, ſi hoſtium in proximo commorantium metuere didiciſſet inſidias, Juſtin *lib.* 1. *cap.* 8. Et interiit inde cum iis, quos ſecum in prælium eduxerat, Sardanapalus, nihil aliud agere, quam inter mulierum gregem purpuram colo nêre, penſa inter virgines partiri, fucis ſemet exornare, & corporis habitum ac ætatem mentiri ſuetus. Athenæus *lib.* 12. Longum nimis eſſet Xerxis in Græciâ, Publii Æmilii & Varronis apud Cannas, & aliorum commemorare clades & interitus ex nimia ipſorum ignorantia ſecutos.

23. Duplex autem præcipuè reperitur acquirendi ſummam in bello peritiam methodus, experientia ſcilicet, & eorum ſedula lectio autorum, qui de rei militaris uſu ac ſtratagematibus ſuas in lucem edidêre lucubrationes, quos ſummâ curâ collegit & enumeravit Naudæus *de ſtudio militari lib.* 2. *cap.* 4. Et maximè quidem lectio ad formandum conducit Imperatorem; licet enim experientia ſit optima magiſtra, ac præſens conſpicuumque exhibeat rei ſpecimen, cujus in libris ſola reperitur idea: quia tamen in bellis quotidie novæ ſolent excogitari machinationes, & rariſſimè bis eadem numero Duci offertur occaſio, etiam vitæ breve curriculum, ac belli calamitas vix milleſimam eorum, quæ in præliis contingere poſſunt, partem permittit experientiâ cognoſci; legendo potius pleraque ſunt addiſcenda;

ſic

ſic enim intra exiguum temporis ſpatium illorum omnium perfecta poterit acquiri notitia, quæ illuſtribus unquam moratiorum gentium evenere Ducibus, adeoque vel aliorum periculo cautior fiet Imperator, vel illorum proſpero motus ſucceſſu in arena ſimile quid perpetrandi conſilium capere facile poterit. Inſigne nobis Cicero prodidit hujus rei exemplum in Lucullo, quem *lib.4. Acad. quæſt.* memorat ad Mithridaticum bellum à Senatu miſſum, rudem rei militaris Româ profectum, percunctando & legendo res aliorum geſtas in itinere, cùm in Aſiam perveniſſet, inter ſummos jure relatum fuiſſe Imperatores.

24. Quæri poſſet, an & aliarum rerum ſcientia quædam Duci neceſſaria ſit ad id, ut rei bellicæ peritiâ clarus dici poſſit? Naudæus *lib. 2. de ſtudio milit. cap. 2.* eruditione ac multijugâ lectione conſpicuos falsè ridens viros, exiſtimat, aliarum artium ac ſcientiarum cognitionem non modo nihil prodeſſe Duci, verum ex adverſo veræ militari plurimùm nocere fortitudini, his præſertim, ut ait, motus argumentis; quod Proclus è Platonis academiâ philoſophus inſignis magiſtratui prudentiam, militi fortitudinem, civibus opulentis injungat temperantiam: quod Ciceronis opinio ſit, pro temporum mutatione armis vel legibus incumbendum eſſe: quod dum alia multa ſcire deſiderant, ne ea quidem, quæ neceſſaria ſunt, ſcire videantur; quod unius mens non ad omnia munera ſit idonea, nec tantæ molis capax: quod viri robuſti, corpore vegeti requirantur ad militiam, hi autem hebetiore ſint animo, nec illas percipere queant ſcientias, quæ acrius ingenium, majorem induſtriam, conſilium prudentius requirunt: quod ſtudia ſeceſſum & otia quærant armorum ſtrepitibus contraria, doc-

doctrina conjunctam habeat timiditatem, literatos comitetur φιλοψυχία, quod Gothi & Barbari literas oderint, Turcæ, Tartari adhuc hodie contemnant, Græci literarum profeſſores finibus expulerint: denique, quod viri docti militiæ operam dantes in enormia ſæpè vitia lapſi fuerint. Verum his non obſtantibus verior eſt illorum opinio, qui reliquas artes plurimum cenſent ad militaria conducere negotia, & optimum eum ducunt Ducem, in quo cum rei militaris peritiâ juncta reperitur aliarum ſcientia diſciplinarum, & belli artibus miſcetur eruditio: acuunt enim ingenium, promtum reddunt, & exercent, ut facilius novos aſtus Imperator, nova adverſus illos remedia poſſit excogitare, in quo præcipuum ejus conſiſtit officium, eoque inter alios emineat neceſſe eſt. Præterquam quod adeò arctè pleræque cohæreant inter ſe artes, ut vix per ſe ſingulæ ſubſiſtere vel cognoſci queant abſque cæterarum adminiculo, neque quiſquam in una poſſit excellere, qui non aliquem perceperit aliarum guſtum. Quod ſi exemplis contendere libeat, vix ullum conſtabit illuſtrem inter Græcos repertum Ducem, qui non Muſarum quoque ſacris initiatus fuerit. Epaminondas, Phocion, Pericles, Themiſtocles, Alcibiades, Dion, non Græcorum minùs inſtructi fuêre ſapientiâ, quam rei militaris gloriâ claruerunt. Inſtitutus ſalutaribus Epaminondæ monitis Philippus: Alexander ſub Ariſtotele per integrum decennium philoſophiæ præceptis incubuit; & hi fortitudine ſuâ ſummum à Perſis ad Græcos orbis tranſtulerunt imperium. Quòd ſi Romanorum Rempublicam, in eaque generoſos heroas contemplari juvet, nec hos Sophiæ aſpernatos fuiſſe ſacra patebit, verùm militari ſtudio rerum aliarum junxiſſe peritiam. Ut

ſilentio tranſeam Scipionem, Lucullum, Fabium, Decium Murem, Marcellum, alioſque doctrinâ pariter & armorum uſu conſpicuos, Cæſarem ſolummodo Pompejumque intueamur, propter incredibilem fortitudinem & innumera ferè ſtrenuè feliciterque confecta bella famam aſtris terminantes; quorum hic Cratippi frequentavit auditorium, ille Ariſtonis inſtitutione, ac perpetuò librorum, quos ubique ſecum in expeditionibus habebat, uſu in hanc evaſit literarum peritiam, ut ipſe luculentâ oratione ac ſtilo nulli ſecundo proprias poſterorum memoriæ tradiderit res in Gallia alibique geſtas. Neque receſſerunt ab hâc opinione noſtrorum temporum excellentiſſimi Duces ex illuſtri Naſſoviorum oriundi familia, qui, quamvis hoſtibus undique ſemet armis efficerent formidabiles, neutiquam tamen humaniores contemſere literas. A Muſarum cultu accerſitus, & in exercitûs Ducem communi Ordinum electus ſuffragio, Glorioſæ memoriæ, Mauritius Arauſionenſium Princeps. Henricus Comes Naſſovius, Friſiorum Gubernator, cujus fortitudinem non amici tantùm & ſocii, ſed ipſi quoque hoſtes & exteri mirabantur, præter vernaculam etiam Latinam, Italicam, Gallicam, Anglicam, Hiſpanicam fertur calluiſſe linguam, & pleraſque ſibi familiares habuiſſe liberaliores artes ac ſcientias. Et in bello quoque utilem doctrinam facto ſuo demonſtravit abundè Alexander Severus Imperator; ſi enim de re militari agendum eſſet, veteranos milites, & literatos omnes ac hiſtoriarum peritos convocabat. Ælius Lamprid. *in vita Alexandri Severi ferè in principio.* Quo etiam reſpexiſſe quondam videntur Romani, qui Herculi ac Muſis commune ex cenſoria pecunia erexerunt templum, & Minervam belli pariter ac ſapientiæ

 finxere

finxere Deam, eamque armatam è Jovis cerebro prodiiſſe. Armis ſcilicet literas ſociari voluerunt, & indiſſolubili ſibi invicem nodo jungi.

Neque quicquam adverſantur à Naudæo cuneatim in contrarium adductæ rationes, quarum ridenda prorſus impotentia vel primo poterit unicuique innoteſcere intuitu; neque enim vel Proclus vel Cicero militibus ullam cenſent interdicendam humaniorum artium notitiam, alias nec in iis requiſita foret temperantia, quod eam Proclus civibus tantum injungat opulentis: verum primario ſtudio militari cenſent incumbendum militi, quod ſi variis juvetur diſciplinis, non improbant, & multo ſanè nobilius apparebit atque perfectius. Mirari verò non ſatis poſſum, eo dementiæ proceſſiſſe virum doctum, ut aſperum Gothorum ac Barbarorum literas contemnentium, & ſolo bello ſemet exercentium, inſtitutum cultis prætulerit Græcorum ac Romanorum moribus: nam artes cæteræ, quantum adferant in bello emolumenti, ſatis docuerunt graves Barbaris illatæ clades. Fuſa fugataque ſæpius ab exiguis Alexandri copiis ſexcenta Perſarum millia. Gallos ac Germanos incultas & frondibus hirſutas colentes ſilvas, ac latrociniis vias infeſtare ſuetos, minoribus viribus ſuffultus Cæſar terga ſæpe dare coëgit, & eos, à quibus numero ac corporis robore vincebatur, ingenii ſolertiâ & aſtu ſuperavit. Studia inſuper, inquit, ſeceſſum & otia quærunt; non equidem diffiteor: illud tamen non impedit, quo minus alternis vicibus armis liceat & literis ſemet addicere. Viros autem doctos pericula mortemque metuere quiſquis aſſerit, ne ille vim veritati infert quam inſignitiſſimam; longè aliter exiſtimavit olim ſtudioſus ſapientiæ Seneca; cum enim ei Neronis mandato

lugu-

lugubre mortis afferretur nuncium, non metu victus, non ſævâ mortis inſtantis ſtupefactus imagine, ſed imperterritâ mente præſentes conſolatus eſt amicos: *ubi*, inquit, *præcepta ſapientiæ? ubi tot per annos meditata ratio adverſus imminentia?* Tacitus *Annal, lib.* 15. *c.* 62. Per philoſophiam ſcilicet adverſus malignos quoſvis ſeſe muniverat intonantis fortunæ impetus. Pari Socrates animi conſtantiâ mortem, quamquam injuſtè illatam, velut donum amplexus eſt: orationem ejus ad judices, à quibus ſupplicio fuit addictus, Cicero exhibet *Tuſcul. quæſt, lib.* 1. *ſive de morte contemnenda, ſub fin.* Cæterùm quicquid de debilioribus nugatur corporibus ſtudio literarum magis idoneis, robuſtis hebetioribus, & ejuſdem farinæ alia refutare piget, quorum falſitatem, ſi ad ea ſolummodo, quæ antea produxit, reſpicere voluiſſet exempla, facilius animadvertere potuiſſet, quam cum ſudum eſt ſolis radios.

25. Rei militaris ſcientiam virtus excipit; quæ quidem à cultu religioſo ac pietate erga Deum inchoanda; quanto enim magis Imperator exercitûs, quam cæteri, vitæ diſcrimen adit, tanto quoque ardentius ſibi Numinis conciliet benevolentiam fas eſt. Illud vel ipſi exemplo ſuo docuerunt Gentiles: expeditionem cum legionibus ſuſcepturi Conſules Romani Jovis optimi maximi adire templum, Junoni Soſpitæ, ac Jovi Latiali ſacra facere ſolennia, votiſque nuncupatis iter proſperum ac reditum felicem ab iis poſtulare ſolebant. *Alexand. ab Alexandr. Genial. dier, lib.* 3. *cap.* 3. Unde & Æneam ſtirpis Romanæ conditorem Virgilius velut omnibus numeris abſolutum dum exhibet in bello Ducem, paſſim eum pietate dixit inſignem & armis, quo non alter erat aut pietate juſtior aut

bello major: nempe non ignari erant ethnici, ſine ſummi rerum moderatoris auſpiciis, ope, honore, nihil ritè, nihil providenter geri, p. m. Parens Paulus Voet. *tract. de Juriſprudent. Sacra cap.*1. *ſect.*1. *in princip.* Et optimi quique à Deo victoriam proficiſci faſſi ſunt Chriſtianorum Principes; illuſtris illa eſt ac memoratu digna Alphonſi Arragonum & Siciliæ Regis ad filium, quem contra Florentinos mittebat, oratio; *Victoria*, inquit, *non ex hominum conſiliis, ſed ex ſummi Dei voluntate ac poteſtate proficiſcitur: tum denique tibi militares artes profuturas ſcito, cum Deum tibi pietate ac juſtis factis propitium reddideris; eum igitur, ſi vincere expetis, purâ mente colito, ſpemque omnem victoriæ in eo reponito.* Sic ut ultra Sauromatas & glacialem oceanum releganda ſit impia illa ſtolidi quondam & arrogantis Ajacis opinio: patri quippe monenti, ut virtute vinceret verum non abſque Dei auſpiciis, reſpondit;

---- adjuvante, mi pater, Deo
Victoriâ potitur ignaviſſimus.
At deſtitutus etiam ope Deorum ſcio
Bellique confido me adepturum decus.

Sophocles *in Ajac. flagellif. ex verſione Ratalleri.*

Atque hiſce ſimillima Divûm contemtoris Mezentii, hæc dictu nefanda proferentis.

Dextra mihi Deus, & telum, quod miſſile libro,
Nunc adſint......

Virgil. *lib.* 10. *Æneid.* v. 773.

Quorum ſcelerata dogmata quamvis eſſent à moratioribus rejecta ac protrita, ea tamen non dubitavit auſu giganteo ab inferis revocare Florentinus Politicus, ea de cauſa à Naudæo *de ſtudio militari lib.*1. *cap.*21. *n.* 3. jure merito notatus ac refutatus.

26. Cæterùm præcipuam virtutis in Imperatore par-

partem conſtituit fortitudo, & imperterrita in periculis animi conſtantia; mollis enim ſi fuerit & effœminatus, non etiam milites ſuos ad diſcrimina præliorum ſubeunda promtos inveniet aut paratos.

Scilicet in vulgus manant exempla regentum.
Utque Ducum lituos, ſic mores caſtra ſequuntur.

Inquit Claudian. *in laud. Stilicon. lib.* 1. Proinde, ſi quicquam à militibus exigat, ipſe bono præcedat exemplo, facto proprio illos excitet ad virtutis officia: Cùm ad iter perpetuis obſitum nivibus veniſſet Alexander, & locorum ſquallor ac ſolitudines militem deterrerent, ipſe equo deſiliit, pedeſque per nivem concretam ingrediens ac dolabrâ glaciem perfringens, iter ſibi fecit; quo factum, ut primùm amici, omnes deindè milites non ſequi Regem erubeſcerent, Curtius *lib.* 5. *cap.* 6. Si laboris & inediæ, æſtûs ac vigiliæ patientes deſideret milites, non ipſe genio indulgeat, dum reliquos urget inopia. Non ſolus bibere ſuſtinebat Alexander, oblato ei aquâ repleto poculo, dum univerſus aquarum penuriâ extabeſcebat exercitus, Curtius *lib.* 7. *c.* 5. *Non illos* (milites ſcilicet) *arctè colam, me opulenter*, inquiebat Marius apud Salluſt. *de bello Jugurth. cap.* 85. Corbulonem Tacitus teſtatur cultu levi, capite intecto, in agmine in laboribus frequentem adfuiſſe, laudem ſtrenuis, ſolatium invalidis, exemplum omnibus oſtendiſſe, *Annal. lib*, 13. Idem Titum Cæſarem memoriæ prodidit in opere in agmine gregario plerunque militi mixtum, *Hiſtor. lib.* 5. Antoninum Imperatorem unà cum exercitu pedibus incedere, & graviora militibus arma portare ſolitum fuiſſe, teſtis eſt Herodianus *lib.* 4. *Hiſt.* Unde eum exercitus ut hominem militarem diligere, & ut virum fortem mirari cæpit. Marium autem ſimileſque Du-

ces ante oculos habens Peſcennius Niger, ſemper ante papilionem militarem cibum ſumſit, nunquam adverſus ſolis æſtum umbræ ſolatium, nunquam adverſus imbrem tecti quæſivit ſuffragium, & tantum ipſe ſibi, quantum reliqui milites, uſque portavit. Quin & in concione juravit, quamdiu in expeditionibus fuiſſet eſſetque adhuc futurus, ſe non aliter eſſe acturum quam militem. Spartian. *in ejus vita.* Quod ſi fortitudinem in illis requirat, ipſe exemplo ſuo illos provocet ad edenda præclara ingentis animi ſpecimina; cum in aciem educitur exercitus, cum in hoſtes ſigna moventur, ipſe principiis frequenter interſit, *l.* 12. §. 2. *ff. de re militari.* Atque tunc facilem ſibi poterit triumphum ſpondere: urget ſcilicet præſentia Turni, ſic ut ante oculos ſui quiſque Ducis mortem occumbere ducant egregium; nec exiguum militibus addit animum, quod Ducem propriis videant parere mandatis, & eadem pericula, eadem bellorum incommoda ſuſtinere: neque adeo ſenſus humanos flectere queunt edicta & pœnarum comminationes, quam quidem vita regentis; quæcunque exemplis oſtenduntur, his amice milites obſecundant; at quæ mandatis injunguntur, ſi ardua ſint & periculi plena, non ſine indignatione iis obtemperant militares animi: *ſi quid injungere inferiori velis*, (inquit Livius lib. 26.) *id prius in te ac tuis ſi ipſe ſtatueris, facilius omnes obedientes habeas:* ſpontaneam enim hæc efficiunt ſubmiſſionem, & innatam ultrò virtutem excitant; cum ex adverſo invitos ad obedientiam ferè mandata conſtringant, & pœnarum magis formidine, quam Ducis vel virtutis amore, nolentes ad fortia facta impellant. Proinde, ſi Duci modo turpe fuerit antiquorum more Germanorum (uti tradit Tacit. *de mor. German.*

max. cap. 14.) in acie virtute vinci, turpe quoque comitatui erit Ducis virtutem non adæquare; ſi pro victoriâ pugnet Imperator, Imperatoris pro ſalute comites adverſis in hoſtes ruent pectoribus; atque ita virtuti non deerit ſucceſſus, & generoſis conatibus felix comitabitur eventus. Neque illud ignorarunt fortiſſimi quique Duces, quos & ea de cauſa cernimus ante ſigna ſæpe in prima adverſus hoſtes acie dimicaſſe, & dextrâ propriâ ſibi quæſiviſſe triumphi decus. Inter primos junctis agminibus propè Darii currum cum Perſarum lectiſſimis conflixit Alexander, primus in obſeſſa mœnia deſiliit armatus, inter primos fugientem inſecutus eſt Indorum Regem Porum; ſi flumen eſſet trajiciendum, cujus ulteriorem ripam hoſtes obſiderent, primus in ſcaphas ſeſe conjecit, primus ſolvit, primus appulit, primus in adverſarios arma convertit; de quibus paſſim Curtius & alii in ejus vita. Scuto militi detracto Cæſar in prima conſtitit acie, eoque modo ſuorum, jam fugam magis quam prælia meditantium, confirmavit animum. Cæſar *de bell. Gall. lib.* 2. *cap.* 25. Quandoque, ne quid à Gregario differret, etiam equum ablegavit, pedeſque inter prima procurrit agmina: ſic ut meritò Florus diceret, *multum in præliis fuiſſe Cæſarem, mediumque inter Imperatorem & militem.* Florus *lib.* 4. *cap.* 2. Poſthumius Dictator, Ebutius Magiſter equitum & Tarquinii ſummi copiarum Duces, teſte Livio *lib.* 2. non ad regendam modo conſilio rem adfuere, ſed ſuiſmet ipſis corporibus dimicantes miſcuêre certamina. Et ad idem agendum, ſe mutuò inſtigarunt duo Fabii: *Nos*, inquit alter, *ut decet proceres, ut Fabio nomine eſt dignum, pugnando potiùs quam adhortando accendamus militum animos*; nec mora, infeſtis haſtis

in hoſtes ambo provalabant, & trepidantem univerſum ſecum movebant exercitum, Livius *lib.* 2. Commendatus hoc nomine à Polybio Rex Antiochus, Polyb. *lib.* 10. *in fin.* Laudatus eadem de cauſa conjurationis princeps Catilina, Salluſt. *in fin. belli Catilin.* Neque dubitavit illud ipſum Marius iis, quibus imperabat, promittere militibus; *Egomet*, inquit, *in acie*, *in prælio conſultor idem*, *& ſocius periculi vobiſcum adero*, Salluſt. *in bell. Jugurth. c.* 85. Ubi verò Duces ſpectatores tantùm, non autem præliorum ſunt actores, nec unà cum victoribus victoriæ cupiunt autores eſſe, milites plerunque reperiuntur in hoſtem ſegnes, & ad minima quæque metu ac ſtupore correpti, ſic ut ilicò de vita ac ſalute ſoliciti, vix primum ſuſtineant adverſariorum impetum: Quis ſatis exprimat triſtes omnes & infortunatos præliorum eventus, quos poſt ſe traxerunt ejuſmodi Imperatorum vitia? Quis memoret infandas, quæ integris inde exercitibus ſupervenêre, calamitates? Dum ſuos adverſus exiguam Græcorum claſſem dimicantes eminùs tranquillo Xerxes intuetur oculo, immenſus illius evanuit belli apparatus, & tremendæ temporis momento fuerunt everſæ copiæ navales, Juſtin. *lib.* 2. *cap.* 12. Nec alia res Antonii magis acceleravit interitum, quàm quòd militibus acriter adverſus Octavium prælia capeſſentibus, ipſe Cleopatram fugientem proſecutus acie excederet, & detracto capite ſolos relinqueret in certamine milites: Patercul. *lib.* 2. *c.* 85.

27. Illa quoque non exigua virtutis in Imperatore requiſitæ pars eſt, quod in dubiis & ancipitibus meliora ſperare non deſinat, & de ſumma rei benè ominetur; vel ſi juſta fortè cauſa timoris appareat, non tamen militibus metum prodat: illud quippe

quippe prœliandi illis adimit ardorem, & certiſſimæ ferè cladis præſagium eſt: quid enim, obſecro, de trepidante ac propinquæ mortis exſpectatione pallente ſperandum exercitu? altum potius corde premat dolorem, & ſpem interim vultu ſimulet, acſi nec malis cedere cuperet, nec hoſtium formidaret potentiam

---- Ducis hoc boni eſt,

Læta palàm habere, infauſta premere ſilentio,

Juxta Sophoclem in Oedipo Colon. *Creſcit enim animus adhortatione Ducis, ſi nihil ipſe timere videatur*, inquit Veget. *de re milit. lib.* 3. *cap.*9. Sic, referente quopiam, ſagittis Perſarum ſolem obſcurari poſſe, quamvis inſtans grave noviſſet periculum Epaminondas, attamen ut flocci pendere, videtur hoſtium numerum: *benè narras*, inquit, *in umbra enim melius prœliabimur.* Valer. Maximus *lib.* 3. *c.* 7. *in fin.*

28. Referenda huc etiam Ducis prudentia, quâ omnia illa procurare ſolet, quæ ad exercitûs conducunt conſervationem, & in hoſtium tendunt exitium; quâ, quid in rem futuram utile, in præſentem commodum vel noxium ſit, æſtimat; aptum rebus agendis eligit tempus, & extemporanea rebus arduis & inopinis adhibet remedia, adeoque maturo cuncta ac deliberato perficit conſilio: ut non abs re dixerit Horatius Conſul, de relata per collegam ab hoſte victoria verba faciens; *conſilio collegæ, virtute militum victoria parta eſt.* Liv. *lib.* 3. Et certè, non aliam ob cauſam in altiori honoris faſtigio tanquam in ſpecula conſtitutus eſt exercitus Imperator, quàm ut oculorum acie pervigili atque indefeſſo labore in omnium militum ſalutem incumbat; quam tutari commodè non poterit, niſi ſuas pariter & hoſtium compertas habeat vires;

vires; annonæ, armorum, caſtrorum, munitionum ſolicitè curam gerat, præcipuè verò milites, ne diuturnâ quiete in ignaviam & alia vitia dilabantur, ad exercitationem crebro producat. *L.*12. *§.* 2. *ff. de re milit. l.* 4. *C. de offic. judicis milit. l. fin. §.* 9. *Cod. de offic. Præfecti Prætor. Africæ.* Exercitus enim labore proficit, otio conſeneſcit; & uti fruſtrà quis ab equo ſtabulis, non oneribus aſſueto, ingentem ac diuturnum exigit primâ vice laborem, ſic quoque voti carebit eventu, quiſquis ab armatis dudum deſidiæ & otio litantibus eximiam velit expectare in bello fortitudinem; corpora namque languidiora redduntur, animiſque decreſcit vivus ille vigor, atque ut gravi ſquallent odore ſtagna, færentque putredine ſtantes aquæ, adeo ut nulli queant uſui inſervire, ita quoque longâ quiete torpet univerſus exercitus, ſic ut Reipublicæ vix quicquam poſſit afferre commodi, ſed ſæpe ubi hoſtis adeſt, & ut ajunt, Hannibal ante portas, per fas & nefas prælia declinare, & adverſariorum ſtudeat effugere conſpectum; vel in ſeditionem adverſus Imperatorem ſuum erupturus, ſi hac viâ pugnam evitare ſe poſſe ſperet. Unde & memoriæ proditum, plus molis adverſus militum ignaviam fuiſſe Corbuloni, quàm contra hoſtium perfidiam, cum in ipſius caſtris reperirentur veterani, qui nunquam ſtationem, non vigilias inivérant, & vallum, foſſamque quaſi nova & mira viſebant. Tacit. *Ann. lib.*13. Ut igitur hanc ab exercitu ſuo peſtem averteret Galba, *veteranum ac tyronem militem opere aſſiduo corroboravit*, Sueton. *in ejus vitâ cap.* 6. Ac ne deſidia marceſcere milites & ad illicita quæque dilabi ſinerent optimi quique Romanorum Duces, in ſtativis etiam circa neceſſitatem eos foſſas ducere, vallo caſtra cingere,

gere, flumina jungere fluminibus jubebant; vel ſi nihil horum iis injungeretur, ad palos utique illos, in caſtris ea de cauſa erectos, ſemet exercêre cogebant, in palum ut in adverſarium dirigentes ictus, Veget. *de re milit. lib.* 2. *cap.* 23.

29. Cùm autem omnium ſeculorum docuerit experientia, non eſſe cunctandum in iis quæ deliberato conſilio viſa fuerint ingens allatura Reipublicæ emolumentum, ſic ut nihil eſſe procraſtinandum, verùm celeriter omnia executioni mandanda Africanus ſuperior Cæſarque cenſuerint, teſte Cicerone 7. *in Verrem*, & *pro Marcello*. Cuncta etiam ſuperflua removenda erunt impedimenta, ne gravis iis motuque difficilis fiat exercitus, & procurandum præcipuè, ut ducatur *agmen & ſtare paratum & ſequi, nec turbâ nec ſarcinis prægrave, intentum ad Ducis non ſignum tantum, ſed etiam nutum.* Quo nomine quondam laudavit Alexandri copias, Curtius *lib.* 3. *cap.* 3. Ita enim idem eveniet hoſtibus quandoque, quod olim Hannibali, qui non ante Claudii Neronis Conſulis expeditionem, quam reditum, fratriſque ſui Aſdrubalis interitum intellexit, licet non longè abeſſet, Frontin. *de ſtratag. lib.* 1. *cap.* 1. *n.* 9. Neque quicquam magis adverſus formidabilem Hiſpanorum potentiam profuiſſe noſtratibus teſtantur earum rerum periti, quam quod illuſtriſſimus Princeps Mauritius, Cæſarem & Alexandrum imitatus, levem plerunque duceret exercitum, ut celeri copiarum motu poſſet hoſtium eludere conatus, & feſtinando proſperos eorum ſucceſſus impedire: nam & Alexander in Indiam expeditionem ſuſcepturus, cùm videret agmen ſpoliis, apparatuque luxuriæ grave, ne eorum onere impediretur in fugam actos hoſtes expeditâ militum manu perſequi, ſuas

ſuas primum, dein univerſi exercitus ſarcinas incendio conſumſit, nemine ſanguinis pretium audente deflere, cum regias opes idem ignis exureret, Curt. *lib.* 6. *cap.* 6. Parique de cauſa P. Decius milites, ut omnem venderent vicinis prædam, adegit, Livius *lib.* 10. Cæſar verò ex Sicilia in Africam ità exercitum tranſportavit, ut præter ipſum militem & arma, neque vas, neque mancipium, neque ullam rem, quæ uſu militi eſſe conſuevit, in naves imponi pateretur, Panſa *de bello Afric. cap.* 47.

30. Illud quoque Ducis prudentis eſt, ut ſuſpecta habeat transfugarum conſilia, ſuſpecta inimicorum dona, neque facile delationibus ipſorum fidem adhibeat: timendi ſcilicet Danai & non carentia dolis dona ferentes: uti enim Sophocles inquit in Ajace Flagellifero ex verſione Ratalleri,

Verum vulgò eſt quod ferunt proverbium;
Data ab hoſte dona non eſſe dona, ſed graves
Secum uſque trahere inauſpicata noxias.

Hoſtes ſæpè prodigè fidem & lætitiam frontis præ ſe ferunt, interim dum deteſtandas ſtruunt incautis inſidias & enormia ſcelera machinantur. Nunquam Trojanum Græci perpetraſſent excidium, ſi quidem, fraudulento perfidi Simonis conſilio de recipiendo intra mœnia fatali equo Teucri, non auſcultaſſent. Capta non fuiſſent Sabini Cottæque caſtra, ſi doloſam contemſiſſent Ambiorgis orationem, qui uno die omnia Romanorum caſtra, ne legio legioni ſuppetias ferret, ſimul oppugnatum iri aſſerebat, Cæſar. *lib.* 5. *de bello Gallic. cap.* 27. *& ſeqq.* Non Babiloniam in poteſtatem ſuam redegiſſet Darius, niſi ejus incolæ Zopyri transfugæ laniato decepti corpore, exercitum ei credidiſſent: cum enim parvâ primum manu ſemel atque iterum feliciter Perſas de compoſito cedentes fugaſſet,

fugaſſet, eoque modo fide ſibi conciliatâ factus eſſet exercitus univerſi præfectus, urbem & milites Dario proditione tradidit, Juſtin. *lib.* 1. *cap.* 10. Atque hinc eſt, quod Philiſtæorum Principes adverſus Saulum dimicaturi, ab Achide Rege poſtularunt, uti Davidem caſtris excedere juberet, nec permitteret ipſum unà cum iis adverſus Iſraëlitas in prælium deſcendere, *ne*, inquiunt, *in prælio nobis ſit adverſarius: in quo enim placebit hic domino ſuo? an non in capitibus virorum iſtorum?* 1. *Reg.* 29. *v.* 4. Proinde Romani, tot aliorum edocti calamitatibus, transfugas omnes detractis armis in poſtrema collocarunt acie, ne aliàs ſimulatâ fortè fugâ molirentur inſidias, Alex. ab Alexandr. *gen. dier. lib.* 4. *cap.* 7.

31. Denique ſummoperè victori Duci conducit & exercitui, ſi in fugam verſis hoſtium copiis omnis elabendi non intercludatur occaſio, *Nullus perniciosior hoſtis eſt*, ait Seneca lib. 2. natur. quæſt. cap. 59. *quam quem audacem anguſtiæ faciunt*, & uti maximè mortiferi ſunt morientium beſtiarum morſus, ſic quoque plus negotii cum iis eſt, quibus impoſita moriendi neceſſitas: ubi enim omnis ſalutis ſpes eſt ſublàta, ſæpe debellatis in præcordia redit conſcia virtus, aut in deſperationem metus convertitur, & furentibus ſimillimos, velut denſâ venantum coronâ ſeptas aut incluſas ac concitatas in circo feras, ad quidlibet audendum, ad obvias quaſque difficultates ſuperandas paratos efficit, ſic ut omnes irarum laxantes habenas, quà tela vident denſiſſima, tendant, & hoc unicum in extremis quærant ſolatium, ne, ſi pereundum omninò ſit, inulti ſaltem vel abſque fortitudinis laude cecidiſſe videantur; ſed ad inſtar apium potius in adverſariorum vulnere ponant animas. Neque mirum

rum illud cuiquam videri debet, *neceſſitas enim* (ut inquiebat Meſſius Vectius, undique Romanorum cinctus agminibus, referente Livio lib. 4.) *ultimum ac maximum telum eſt*, & veriſſimum illud Poëtæ;

Una ſalus victis nullam ſperare ſalutem.

Tunc nihil ipſis apparet arduum, nihil inſuperabile, per avia viam quærunt, & quoquo modo conantur evadere. Demetrius Rex omnibus deſtitutus vivendi adminiculis, & peſtiferâ lue contritus, miſsâ ſupplicum more miſerandâ epiſtolâ Seleuci imploravit auxilium: cum vero non tantum nihil eorum, quæ peteret, impetraſſet, verum inſuper hoſtilibus undique circumdatum ſe cerneret præſidiis, & ademtam in regnum remeandi potentiam, in rabiem actus, quod precibus efficere nequibat, deſperatione & armis effectum reddidit. Seleuci namque exercitum fugam capeſcere coëgit, & ipſa finibus expulit præſidia, Plutarch. *in vita Demetrii.* Thuſcis omnem Manlius Conſul interclufit exitum, quo factum, ut de ſalute deſperantes, poſt tentatum aliquoties fruſtra tranſitum, in ipſum tandem Conſulem impetum facerent; nec vis ſuſtineri potuit, cecidit ipſe Manlius, cecidiſſet luctuosâ clade, ni properè porta fuiſſet incluſis aperta, univerſus cum Ducibus Romanorum exercitus, Livius *lib.* 2. Alcmariæ cives, hoſtem appropinquare videntes, ad averſam ſeſe conferebant portam, certo urbis deferendæ propoſito; aſt cum & illam cinctam animadverterent, metu protinus in furorem converſo, magnis animis acerrimum hoſtium ſuſtinuerunt impetum, eorumque fruſtraneos effecêre conatus. Sande *Hiſtor. lib.* 1. *Multos ſcilicet perituros parati ad pereundum animi ipſa admiratio eripuit, & cauſa illis vivendi fuit fortiter mori,*

mori, teſte Senecâ Suaſor. 7. Quod ſi, quacunque viam virtute petunt, ſucceſſus deficiat, neque videant amplius, quo ſemet eripiant, aut quâ vi tendant in adverſarios, eo tandem deſperationis adiguntur, ut ſe ſuaque ſponte perdere, & unâ veluti ruinâ pariter involvere, quam hoſtium arbitrio committere malint. Numantini poſt perpeſſam quatuordecim annorum arctiſſimam obſidionem, & ſpecioſis multis facinoribus monſtratam induſtriam, cum nec Romani illos in deditionem eâ vellent recipere conditione, ut digna viris paterentur, nec inimicorum poſſent concutere caſtra, profundâ foſſâ circumſepti, urbem & quicquid in eâ repertum, ſeque quaſi Vulcano ſacrum facturi, igne cremabant, nil præter inane nomen & felicis quondam Numantiæ (quæ ſummum, ſi viros æſtimes, Hiſpaniæ decus erat) ruinas ac fumantia rudera, & commune civium fortiſſimorum buſtum, victori populo relinquentes, Florus *lib.* 2. *cap.* 18. Quin & ipſe Sardanapalus, omnium quos terra ſuſtinuit hominum effæminatiſſimus, ubi nullâ impunitatis ſpe affulgente pereundum ſibi vidit, una cum regiâ gazâ, ne quid hoſtibus relinqueret, ſeſe combuſſit, Juſtin. *lib.* 1. *c.* 3.

Rectius igitur ac prudentius egêrunt Cæſar, Ageſilaus, Antigonus, Pirrhus, Hannibal, aliique quos narrat Frontinus, *lib.* 2. *ſtratag. cap.* 6. ubi incluſos adverſarios ex deſperatione vires reſumere cerherent, laxatis ordinibus eis evadendi conceſſiſſe viam, ac fugientium demum tergis acriter inhæſiſſe. Dignus laudum præconio Themiſtocles, qui, cum Græcis ſententia ſtaret interrumpendum pontem, ut ita victo Xerxi redeundi via adimeretur, veritus, ne iter, quod aliter non pateret, ferro ſibi aperirent, ſuffragiorum interim numero

ſuperatus, ad Xerxem ſuorum detulit conſilium, utque maturatâ fugâ tranſitum occuparet, ei autor fuit, Juſtin. *lib.* 2. *cap.* 13. Quapropter etiam, ut ignavos unà cum ſtrenuis ad fortiter prældiandum conſtringerent Romanorum Duces, & eandem omnibus imponerent confligendi neceſſitatem, in locis hoſtium præſidio clauſis quandoque ſuas acies inſtruxerunt, ſic ut in fugâ nullam poſſent ſibi quærere ſalutem, verum aut vincere cogerentur aut mori. Teſtes ejus rei Fabius, Hannibal, Cato, aliique, quos enumerat Ajala *de jure & offic. belli lib.* 2. *cap.* 11. *n.* 1. 2. 3. Teſtis patrum noſtrorum memoriâ, Princeps Arauſionenſium Mauritius in memorabili illo inter Hiſpanos ac Belgas fœderatos in Flandriâ prælio, ubi omnes à littore in altum ſeſe naves recipere compulit, quo nullam ſuis niſi in victoria ſpem ſupereſſe monſtraret, *Reidan. Annal. lib.* 17.

32. Neutiquam vero in ſuperatos ac dedentes ſeſe ſæviendum hoſtes; eo namque fit, ut alii, deditorum edocti caſu, potius extrema quæque tentare malint, quam adverſarii ſeſe committere clementiæ. Neque quicquàm magis (referente Sande *Hiſtor. lib.* 1.) motuum Belgicorum initio civitatibus Hollandiæ ſalutem attulit, quam atrox illa in Sutphaniæ ac Nardeni incolas ab Hiſpanis patrata crudelitas. Animadvertebant ſcilicet, ſive dederentur, ſive vi ſubigerentur, nihilominus ſibi pereundum eſſe; ac proinde glorioſum mortis genus infami præferendum cenſebant. Parcendum potius eſt debellatis; ſuffecerit illos ſeſe victor confiteri, quamvis etiam acriter ſemet ante victoribus oppoſuerint; cogitent Duces, ſine ſummo ſcelere facili de cauſâ neminem loco cedere, vel dedere ſeſe poſſe: pulchrum quidem armatâ manu validas hoſ-

tium

tium ſuperare copias; at erigere, ſervare, parcere manſuetudinis eſt ac clementiæ & moderationis, iram concitatam domare, reprimere æſtuantes affectus, id vero generoſum, id demum imperatorium eſt. Nempe ut Ovidius inquit *lib.* 3. *Triſt. eleg.* 5.

Quo quis enim major, magis eſt placabilis ira;
Et faciles motus mens generoſa capit.
Corpora magnanimo ſatis eſt proſtraſſe leoni:
Pugna ſuum finem, cum jacet hoſtis, habet.
At lupus, & turpes inſtant morientibus urſi,
Et quæcunque minor nobilitate fera eſt.

Porum Indiæ fortiſſimum Regem pertinaciter pro regni conſervatione depugnantem, ſimul ac ſeſe faſſus eſt inferiorem, Alexander non vitâ tantum donavit, ſed & inter amicos recepit, Curt. *lib.* 8. *in fin.* Perpendant inſuper, in eandem exiguo temporis intervallo mutato fortunæ vultu ſeſe poſſe calamitatem incidere, adeoque quicquid in alios ſtatuerint idem & in ſe tunc experturos: ſæpe enim teſte Seneca Tragico in Thyeſte *verſ.* 612.

Quem dies vidit veniens ſuperbum,
Hunc dies vidit fugiens jacentem;
Nemo confidat nimium ſecundis.

Fragilis quippe & caduca felicitas eſt, inquit Seneca philoſophus controv. 9. *& omnis fortunæ blandientis ſpecioſus cum periculo nitor & ſine causâ ſæpe fluit, & ſine ratione deſtituit. Vidi ergo magni exercitus Ducem ſine comite fugientem; vidi ambitioſa turba clientum limina deſerta....* Quod & Porus, jam captivus, Alexandrum admonuit; interrogatus enim, quid ipſe victorem ſtatuere debere cenſeret, prudenter reſpondit, *quod hic dies tibi ſuadet, quo expertus es quam caduca felicitas eſſet*, Curt. *lib.* 8. *in fine.* Atque ita de Regulo

verba faciens Polyb. lib. 1. *qui paulo ante*, inquit, *nullum miſericordiæ locum dabat, neque ullam afflictis veniam concedebat, mox ductus ipſe eſt iiſdem pro ſalute ſupplicaturus*. Ut meritò Virgilius, poſtquam Turnum interfecto Pallanti arma auferentem & petulantius inſultantem exhibuiſſet, exclamet; *lib.* 10. *v.* 501.

Neſcia mens hominum fati ſortiſque futuræ,
Et ſervare modum, rebus ſublata ſecundis!
Turno tempus erit, magno cum optaverit emptum
Intactum Pallanta; & cum ſpolia iſta diemque
Oderit.

33. Tertium, quod in ſummo Duce Cicero requirit, eſt autoritas, ſic ut vel nutu poſſet imperare, ac ſolâ frontis reverentiâ dare mandata: ſi namque majeſtas ejus apud milites contemnatur, ſi vilis iis & projecta fiat Imperatoris autoritas; ingens ſæpe periculum imminet, ne à propriis aliquando militibus opprimatur, & velut alter Actæon ab iis, quibuſcum feras in ſilvis agitare conſueverat, devoretur canibus.

Ut igitur illa Duci ſarta tecta conſervetur, illud ante omnia curet, ne differantur ſtipendiorum ſolutiones; Julius Ferretus *de antiq. inſtaurand. & illuſtrand. milit. pag.* 48. *n.* 29. Ære quippe deficiente, ſatis omnium temporum evincunt exempla, frequens Regibus, frequens Imperatoribus malum ſeditiones militares eveniſſe. Adverſus Timoleonta propter ſtipendia dilata tumultum concitavit exercitus, adeò ut ægrè tandem multis pollicitationibus exorari ſeſe paſſus ſit, & expeditionem cum Duce ſuſceperit, Diod. Sicul. *Hiſt. lib.* 16. Ac parum opis aut utilitatis in civibus ſuis invenêre Romani, non dato ære; unde contigit, ut ſum-

ſummâ auri argentique laborantes penuriâ, ne militibus ſtipendia deficerent, Senatus-conſulto non dubitarint aurea atque argentea templorum, quæ Numa Pompilius diis dicaverat, ornamenta conflare, & inde militi debitam perſolvere pecuniam, Valer. Maximus *lib.* 7. *cap.* 6. *n.* 4. In exercituum Præfectos ſæpe rebelles extiterunt, hac de cauſa noſtris temporibus Hiſpani milites, duæ legiones ad Paulinum fanum viginti-duos menſes in ſeditione tranſegerunt: Mille equites, mille ducenti pedites, occupato Sichemo oppido, ferventem adeo concitarunt tumultum, ut ne oblatis quidem ſtipendiis & honeſtâ miſſione ſedari potuerit. Pari ratione Præfectum ac Duces ſuos expulerunt Dunquercæ præſidiarii, Reidan. *Annal. lib.* 11. Hamondam, Dieſtamque peditum tria millia, equites mille, ſtipendiis fruſtrati ſeceſſum fecerunt, Reid. *Annal. lib.* 17. Eadem de cauſa Ducibus Hiſpanorum parere detrectarunt Hoochſtratani milites, Meteren *Hiſtor. lib.* 24. Ac poſt ſedatas ſæpè primas turbas identidem in novas, eaſque longè quam ante atrociores, prorupêre ſeditiones, Sande *lib.* 3. *Hiſtor. ad annum* 1602. *&* 1606. Quid quod & alia multa ſoleant ex ſtipendiorum dilatione provenire mala; milites enim ut inopiam ſuſtineant, & fame latrantem queant ſedare ſtomachum, ad diripiendas civium domos, ad agreſtium populanda prædia, ad abigendos pecorum greges & armenta dilabuntur, ad omnem denique in amicos in ſocios vim atque injuriam perpetrandam ruunt: non igni, non ferro abſtinetur, ſoluta legibus ſcelera ſunt: tunc nihil adeò ſanctum, nihil adeò inviolabile jura voluerunt, quod non aliquando militum immanem experiatur rabiem, eorumque furoribus ſit expoſitum; nec religio quidem, quæ

inter arma hoſtilia ſupplices texit, ullum impedimentum eſt in ſubjectorum direptiones provolantium, hic ex privato, hic ex publico, hic ex profano, hic ex ſacro rapit; hic effringit, hic tranſilit, & in lucrum venit ſociorum ruinâ; ſic ut prædonum magis quam militum, hoſtium quam amicorum videantur induiſſe naturam. Undè & affectionis in locum plus quam Vatinianum in illos ſuccedit odium, pro reverentiâ Duci ab incolis debitâ paſſim contemtum graſſari videas ac criminationes, & intolerabili atrocitate tandem ad deſperationem compulſos cives, novos ſibi quærere dominos, ſub quorum auſpiciis & mitiori imperio pacatam poſſint, excuſſo duro jugo, tranſigere vitam.

35. Inſuper ſi intactam penes milites ſuam deſideret Imperator autoritatem, omnes prorſus colluſionis cum adverſariis ſuſpicionem evitet, quaſvis cane pejus & angue fugiat occaſiones, quibus ſiniſtra quæpiam de eo concipi poſſet opinio: vix enim unquam deficiunt invidi alienæ fortunæ homines atque malevoli, quibus in more poſitum, illuſtrium Heroum deprimere ac obſcurare gloriam, & malignis interpretationibus in peſſimam quaſque res eorum geſtas detorquere partem. Quod ſi veri ſpeciem aliquam præ ſe ferentem, licet re ipsâ falſam, poſſint eorum, quæ audacter aſſerunt, allegare rationem, actum ſtatim eſt de Ducis imperio: ſiquidem, ut Sophocles inquit in Ajace flagellif.

Magnos quiſquis jaculis
Animos petit, haud facile errat;
Summa ferit livor.

Quicquid lævo rumore de Duce ſpargitur, facilem penes milites fidem invenit, & inſidias ac proditionem

tionem metuentes illico ab Imperatore gregarii, ejus ſeſe ſubducunt obſequio, mandata illius neglexiſſe flocci pendunt. Quapropter & ipſos hoſtes nihil intentatum relinquere cernimus, quo ſperant in criminis alicujus ſuſpicionem vocari poſſe Ducem. Verum nec dubitarunt Imperatores ſapientiſſimi, vel cum proprio damno ac privati jacturâ patrimonii ſiniſtram à ſe longè famam removere, & impendio privato publicam exſolvere fidem. Pericles Athenienſium Dux fore ſuſpicatus, ut hoſtes in agrorum populatione ipſius inviolata relinquerent prædia, quo vel ex invidia periculum, vel ex ſuſpicione proditionis ei moverent infamiam, id populo prædixit, & ad invidiæ declinandum impetum illa Reipublicæ donavit, Juſtin. *lib.* 3. *cap.* 7. Hujus autem inſtitutum laudabile imitatus eſt Fabius exercitus Romani Præfectus; intactum namque ab Hannibale agrum miſſo Romam filio vendidit, & quicquid inde nummorum proceſſerat, in captivorum impendit redemtionem, Livius *lib.* 22.

36. Multum quoque ad conciliandam exercitûs Imperatori autoritatem tribuit ejus erga milites comitas & affabilitas, quâ non aliud quicquam magis efferatos emollire valet militum mores, nihil facilius motos componere tumultuantium fluctus ac ferociam. Blanda ſæpe oratio deviâ mente turbatas legiones, in mutua funera ac perniciem ruentes, & in Ducum ſuorum conſpirantes interitum, ab impio revocare valet propoſito. Germanicus ſeditioſos in Germania milites ad priſtinam Imperatori ſuo debitam redigere cupiens obedientiam, primùm iis jam Ducum ſuorum necem meditantibus, admiſſam turpe paucis explicuit, mellitis mox verbis, ut ab incepto ſcelere deſiſterent hortatus eſt: quibus adeo ſine morâ converſi illorum

 animi,

animi, converſus omnis impetus, ut ipſi nocentes puniverint tumultûs auctores, & delicti veniam ſupplices ab Imperatore petierint, Tacit. *Annal. lib.* 1. *c.* 42. *& ſeqq.* Nihil quoque magis erga Ducem militum ſuſcitat & inflammat armorem ac benevolentiam. Non Piſonem illud latuit, qui milites in palatio ſtationem agentes in ſuas trahere partes annitens, identidem commilitonum titulo ſalutavit, quo non aliud amantius à Duce militibus noverat imponi poſſe nomen, Tacit. *Hiſtor.* 1. *cap.* 29. Et militares Otho mulcêre cupiens animos, in itinere, in ſtationibus vetuſtiſſimum quemque militum nomine vocabat, memoriâ Neroniani comitatus contubernales appellabat, alios agnoſcebat, quoſdam requirebat, ad conſervandam delatam Imperatoriam majeſtatem pro vallo caſtrorum omnes commilitones dicebat, *idem Hiſtor. lib.* 1. *cap.* 37. 83. *& alibi.* Ut abſque internunciis quoſvis interpellare poſſet exercitus ſui milites, viginti duarum gentium linguas induſtriâ ſummâ Mithridates familiares ſibi reddidit. Et omnia memoriæ mandavit eorum quos in caſtris ſecum ducebat nomina, quo ſingulos poſſet abſque nomenclatore compellare, Valer. Maxim. *lib.* 8. *cap.* 7. *n.* 16. Nihil denique magis in adverſis ægros militum ſolatur ac confirmat animos. Alexander immani tempeſtate vexatus, ſuos malo jam cedentes circuibat milites, contrahebat diſperſos, proſtratos allevabat, eaque ſola res iis ſaluti fuit, Curt. *lib.* 8. *cap.* 4. Et Germanicus, ut cladis memoriam etiam comitate leniret, circumibat ſaucios, facta ſingulorum extollebat, vulnera intuens alium ſpe, alium gloriâ, cunctos alloquio & curâ ſibique & prælio firmabat, Tacit. *Ann. lib.* 1. *c.* 7. Contrà verò nihil certius eſt, quam truces & ſuperbas fron-

frontes odium magis quam amorem in militum generare pectoribus; *Nocuit antiquus rigor & nimia ſeveritas*, inquit Tacit. hiſtor. 1. cap. 18. Cumque pro æquitate ac comitate libido dominatur atque ſuperbia, fortunam unà cum moribus mutari neceſſe eſt: detrectant plerumque milites auſteri Ducis parere mandatis, nec ad ejus imperium in hoſtes ſigna movere parati ſunt. Cum ad Romanorum caſtra Samnites inſtructâ proceſſiſſent acie, neque dubius eſſet Samnitum interitus, ſi Ducis conſilia ſubſecutus fuiſſet militum favor, aſperitatis tamen ipſius memores ceſſarunt, & de induſtria, ut obtrectaretur laudibus Ducis, impedita victoria eſt; igitur *ſenſit* (inquit Livius lib.8.) *peritus dux, quæ res victoriæ obſtaret, temperandum ingenium ſuum eſſe & ſeveritatem miſcendam comitati:* eoque ſtatim omnes militum, Præfectorum omnes ſibi devinxit animos. Ne tamen nimiam affectando comitatem contemptus ſui Dux præbeat occaſionem, verum Titi Romanorum Imperatoris imitetur exemplum, qui *decorum quidem ſe promtumque in armis oſtendebat, comitate & alloquis officia provocans: ac plerumque in opere, in agmine, gregario militi mixtus, incorrupo tamen Ducis honore*, Tacit. *Hiſtor. lib. 5. cap.* 1.

37. Non multùm à comitate vi & efficaciâ ſuâ militaris diſtat eloquentia. Hæc furentes ac bacchantes per caſtra poteſt ſedare milites. Multa dicendi arte Blæſus turbatas ſeditione Pannonicas legiones mitigavit, *Tacit. Annal.* 1. *cap.* 19. ſcilicet ut Virgilius cecinit, lib. 1. Æneid. v. 152.

---- *Magno in populo cum ſæpe coorta eſt*
Seditio, ſævitque animis ignobile vulgus;
Jamque faces & ſaxa volant, furor arma miniſtrat:
Tum, pietate gravem ac meritis ſi forte virum quem

Con-

Conſpexêre, ſilent, arrectiſque auribus adſtant:
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

Hæc tantos in præliantium animis valet excitare motus, tantamque iis inſpirare fortitudinem, ut damâ alioquin fugaciores, tunc ſalutis immemores tanquam ferocientes leones in confertiſſimos hoſtium cuneos ruere dulce cenſeant ac decorum, neque pro Republica vitæ renunciare recuſent. Tyrtæus, veluti per ludibrium, Lacedemoniis in belli Ducem miſſus ab Athenarum patribus, quippe claudus & ad Martia facinora parùm idoneus, verſibus tamen, quos de virtutum hortamentis & damnorum ſolatiis conſcripſerat, pro concione recitatis, uſque adeo præliandi ardorem in militibus concitavit, ut non de corporis incolumitate, ſed de ſepultura tantùm ſolliciti, poſtquam iterum ac tertium ſuperati eſſent, victores ſuos cruentâ cæde debellarent, Juſtin. *lib.* 3. *cap.* 5. Unde & Galli quondam, Luciano teſte, Herculi, viro perpetuo bellis innutrito, acceptam tulerunt eloquentiam, eaque de cauſa leonis quidem pelle redimitum, & dextrâ clavam, arcum lævâ tenentem finxerunt; verum & ex ore catenulas tenuiſſimas extremo linguæ apici annexas prodire dixerunt auro electroque puriores, quibus ingentem mortalium turbam ſummis ſuſpenſam auribus ad ſe alacrem neque reluctantem pertraheret; non aliud quicquam deſignare volentes, quam ſingulari quapiam dicendi facultate milites ab Hercule ad longinquas expeditiones & duriſſimos labores ſuſcipiendos fuiſſe motos, eumque ſuadendi magis copiâ, quam armis ac terrore, feros pleroſque domuiſſe & imperio ſubjeciſſe populos externos.

38. Tandem, ut omnia, quæ poſſunt illibatam conſervare Ducis autoritatem, in unum conſtrin-
gam

gam faſciculum, à luxu, libidine, avaritia, cæteriſque temperet ſibi vitiis, Julius Ferrettus *de antiq. inſtaur. & illuſtr. militia pag.* 21. *& ſeqq.* Vix enim quicquam Duci proderit, quod collatis ſignis hoſtium exercitus ſuperare poſſit, niſi idem ille à ſociorum uxoribus, pecuniis, auro & gazâ, manus ac animum cohibere queat. Quapropter etiam merito Severus Rogonio Celſo Gallias regenti in hæc verba reſcripſit; *ſcias, militem timere non poſſe, niſi integri fuerint Tribuni & Duces militum. Spartian. in Peſcennio Nigro.* Idem illud innuit Juriſconſulti reſponſum *in l.* 12. *de re militari*; exercitum nempe regentis officium non in danda tantùm, ſed in obſervanda quoque diſciplina conſiſtere.

39. Ultimum quod in Imperatore deſiderat eloquentiæ parens, eſt felicitas. Multùm apud hoſtes, apud ſocios valet Ducis de belli peritia fama; cum vel ad nudum & imbelle nomen ejus aut conſpectum metu corripiantur adverſariorum agmina: Achillis ſolummodo indutus armis, ac ſub ejus imagine tutus Actorides, à carinis longè repulit Trojanorum fortiſſimos: & bella plerunque famâ quondam profligaſſe Germanos, teſtatur Tacitus *de mor. Germ. cap.*13. Socii contra ſub felicis Præfecti præliantes auſpiciis audaciores in adverſarios impetu facto ruunt, dum cogitant, ejus ſeſe parere mandatis, quocum triumphare conſueverunt.

40. Neque quiſquam negaverit, felicitatem quidem magnanimum ſæpè peritum prudentemque comitari virum: nempe juxta illud Sophoclis in Oedip. tyrann.

- - - - Omnes ferè
Prudentum conſilia ſucceſſus regunt,
Mutantque triſtes, cum ingruunt, rerum exitus.

Nec

Nec dubium, magnum inimicis incutere terrorem Imperatorem in conflictibus in præliis uſque felicem, qui fauſto rerum eventu de virtute ſua ſpargit ingentem inter hoſtes opinionem: fruſtra tamen ex eo de Ducis judicatur prudentia, & peritiam Præfecti ex ſolo præliorum exitu metiri nefas; *omnia, ſcilicet, honeſta opera*, Senecâ teſte in excerpt. lib. 4. controv. 7. *voluntas inchoat, occaſio perficit. Sæpe honorata virtus eſt, etiam ubi eam fefellit exitus. Nec infelix virtus amittit gloriæ titulum.* Uti enim culpâ medicus carere poteſt, ubi omni uſus eſt arte ac remediis, ſi contingat in fata nihilominus concedere morbo laborantem; ſic quoque Duci nihil imputandum, ſi, poſtquam omnem adhibuit in pugna prudentiam, induſtriam ac fortitudinem, cedere tamen hoſti cogatur: accidunt enim quandoque, dum decernitur, ejuſmodi negotia, quæ nullus unquam, quantumcunque prudentia inter mortales excellat, cavere potuit; ingruunt aliquoties ex improviſo majore ac veluti fatali vi mala, quæ nullâ ratione vel humanâ potentiâ arceri queunt. Et certè, ſi uſpiam alibi, tùm præſertim in bello fallacis ac jovantis fortunæ ludibria cernimus, ubi parvo temporis momento maximæ rerum producuntur mutationes. *In armis quidem militum virtus, locorum opportunitas, auxilia ſociorum, claſſes, commeatus multùm juvant, maximam vero partem quaſi ſuo jure fortuna ſibi vidicat.* Ut inquit Cicero pro M. Marcello. Et Hannibale teſte, ſummo illo Pœnorum imperatore, apud Liv. lib. 30. n. 30. *Nuſquam minùs, quàm in bello eventus reſpondent ſimul parta ac ſperata decora unius horæ fortuna evertere poteſt.* Undè rariſſimè reperti fuere Duces, qui cum virtute fortunam adæquarint, quorumque non aliquando diffi-

difficiles & ardui conatus deſignato fuerint ſucceſſu fraudati: inter univerſos Græcorum viros illuſtres unum forſan Alcibiaden atque Alexandrum reperias, cui proſpera in præliis ubique comes exſtitit fortuna; unus apud Romanos in libera Republica felicis nomen adeptus eſt Sylla. Vell. Patercul. *lib.* 2. *cap.* 27. Et Pompeji magni felicitatem extulit Cicero in *orat. pro Cornel. Balbo.* Nec hi tamen ipſi ad vitæ finem uſque felices permanſere. Victus à Cæſare Pompejus, profugus miſerrimè tandem à proditore peremtus eſt, Flor. *lib.*4.*cap.*2. de Sylla d. loco Paterculus inquit: *quod* (nomen nempè felicis) *quidem uſurpaſſet juſtiſſimè, ſi eundem & vincendi & vivendi finem habuiſſet.* Et ſejunctam eſſe ſæpius à felicitate virtutem, docuit apud Virgil. lib. 12. Æneas; certamen namque ſingulare cum Turno initurus, inter alia hoc Aſcanio dedit præceptum; *Diſce*, inquit, *puer*, *virtutem ex me, verumque laborem; Fortunam ex aliis:* & Ajax apud Sophocl. in Ajac. Flagellif.

---- O puer, patre
Evade fortunatior, ſed cæteris
Fac rebus ut reſpondeas.

CAPUT IV.

De Delictis ac Criminibus Militum, eorumque pœnis.

1. *Poenarum gravitate milites in officio continnendi ſunt.*
2. *Delicta militum aut communia ſunt, aut propria, aut mixta.*
3. *Varia ſunt pœnarum militarium genera.*
4. *Miles delinquens, ibi puniendus eſt ubi crimen commiſſum, vel ubi reperitur.*

5. *Milites plerunque durius puniuntur quam pagani, & nonnunquam ſortis iniquitate pereunt innocentes.*
6. *Tyrones ut plurimum levioribus plectuntur ſuppliciis.*
7. *An & milites, ſi vino inebriati crimen commiſerint, jure civili, & moribus?*
8. *Durum nimis eſt, illos qui citra ſupremi Ducis mandatum feliciter cum hoſte conflixerint, ultimo plecti ſupplicio, & immane, ſi ea de cauſa pater filium morti addicat.*
9. *Quis ſit proditor, & quam miſera ejus conditio?*
10. *Quibus mediis quis proditionis reus fiat?*
11. *Quæ proditorum pœna?*
12. *Etiam conſcii, ſi proditionem non detexerint, ordinariâ proditorum pœnâ plectendi.*
13. *Mulieres, ſi proditionem commiſerint, non mitius quam viri puniendæ ſunt.*
14. *Qui arcem vel alium munitum locum hoſtibus tradit, mortis reus eſt, niſi reſiſtere amplius non potuerit.*
15. *Læſæ majeſtatis rei non ſunt, qui non dolo, ſed imperitiâ vel metu munitiones tradiderint, & mitius puniendi ſunt.*
16. *Milites ea quæ ad caſtri defenſionem ſpectant, ad Ducis imperium, agere detrectantes, morte plectendi.*
17. *Navium bellicarum Præfecti, ſi navem temerè tradiderint adverſariis; iiſdem quibus caſtra dedentes pœnis afficiendi: nullo tamen jure compelli poſſunt, ut incenſo pulvere pyrio ſe perimant.*
18. *Transfugæ ſunt Reipublicæ hoſtes.*
19. *Eorum pœnæ enumerantur.*

20. *Sola*

20. *Sola transfugiendi voluntas punitur, licet eventus fuerit impeditus.*
21. *Nec excuſatur à pœna rediens ſponte transfuga, niſi multos transfugas aut latrones deprehenderit.*
22. *Qui ſint deſertores, & quæ deſertionis pœna? quibus caſibus pœna minuenda? An & propinqui, vel vici, unde oriundi deſertores, puniri vel inquietari poſſint?*
23. *Duces deſerentes majeſtatis rei ſunt, & in iis ſolus etiam deſerendi conatus puniri debet. Deſertoribus ſimiles qui ſine miſſione tranſeunt de coborte in cobortem, quique extra loca cohorti aſſignata, vel extra caſtra aut loca obſeſſa vaguntur ſine venia Ducis; & milites nautici, ſi nave ſolvente in terra remaneant: & hæc, ſive Gregarii, ſive Præfecti inferiores.*
24. *Qui Præpoſitum non defenderit, ultimi ſupplicii reus eſt.*
25. *De pœna deſerentium ſtationes ac excubias, & excubitorum qui dormientes reperiuntur; ſive terreſtri, ſive navali militia.*
26. *De iis qui Præpoſito manus intulerint ac omni aliâ militum contumaciâ.*
27. *Quæ ſit illorum pœna qui ex acie aufugerint.*
28. *De fuſtuario & pœna illorum qui agmen exceſſerint.*
29. *Muros tranſcendens capite punitur.*
30. *Sive urbis Romæ ſive civitatis municipalis muri fuerint.*
31. *Utrum ſola tranſcendendi voluntas ordinariâ ſit coercenda pœnâ?*
32. *Ad infligendum ultimam ſupplicium non intereſt, dolo an laſciviâ muros quis tranſilierit.*
33. *Etiam aliis modis quam tranſiliendo violari poſſunt civitatum muri.*

34. *Belli, non pacis tempore pœna capitalis obtinet.*

35. *Nec etiam, ſi quis ab hoſtibus undique circumventus per vallum intra mœnia ſe receperit.*

36. *An pœna capitalis etiam in non militibus locum habeat?*

37. *Quando, & quibus in urbibus hodie pœna capitalis obtinere debeat?*

38. *Quàm exitioſa exercitui ſit ſeditio.*

39. *Quid ſit ſeditio; ejus autores ſolos ultimo puniendos ſupplicio, ac ante omnes alios plectendos eſſe Præfectos ſeditioſos.*

40. *Seditionis autorum pœnæ enarrantur. Et quid, ſi in navi tentata ſeditio? Quid, ſi ea fiant, quæ ſeditioni occaſionem præbent, & quæ illa ſint.*

41. *Pœna capitalis non ſemper obtinet, ſi non contra Principem aut Rempublicam, ſed aliâ de causâ mota ſit ſeditio.*

42. *Licet ex ſeditione nondum Reſpublica ſenſerit incommodum, ultimo nihilominus ſupplicio plectendi autores.*

43. *Quid ſi conjuratio, & quæ ejus pœna?*

44. *Quæ ſint differentiæ inter conjurationem & ſeditionem?*

45. *Eos qui Ordinibus generalibus Fœderati Belgii vel aliis Provinciarum Rectoribus maledixerint, aut ſeditioſas orationes inter milites habuerint vel repetierint, jure mortis pœnâ plecti.*

46. *De pœna militum qui commilitones aut alios gladio vel alio inſtrumento læſerint aut injuria affecerint, in militia terreſtri vel navali.*

47. *De duello, ac pœna, tam in provocantes quam provocatos ſtatuta, & quando provocatus ab ordinaria pœna liberetur? de noviſſimo edicto rigido & utiliſſimo contra duella.*

48. *De*

48. *De ſui ipſius vulneratione, ubi Stoicorum circa autophoniam opinio exhibetur.*
49. *Jus divinum ac recta ratio autocheiriam prohibent.*
50. *De furto militum, quo provincialibus res ſuas extorquent aut auferunt, & aliâ concuſſione, ejuſque pœna.*
51. *Milites apud præſidii Præfectum profiteri tenentur, res privatis excurſionibus acquiſitas.*
52. *De piratis & eorum pœna.*
53. *De furto militis inter commilitones, vel in eſculentis aliiſque quæ ad caſtra vehuntur commiſſo, & de educentibus, vendentibus, occultantibus ex nave bellica globos, pulverem pyrium, ſimilemve belli apparatum.*
54. *Deficiente ſtipendio nefas eſt militi ea de cauſa Detrectare Duci ſuo obedientiam, & ex adverſo Duces in proprios uſus impendere non debent gregariorum ſtipendia.*
55. *De vexillorum deſertione & amiſſione.*
56. *Pœna illius qui teſſeram militarem non debito modo tradiderit.*
57. *Quid propriè deſignetur pœna corporalis appellatione, Belgicè,* LYF-STRAFFE ?
58. *Quæ ſit eorum pœna, quia arma amiſerunt aut alienarunt ?*
59. *De iis qui non omnibus armis inſtructi prodierunt ad excubias agendas ; & monſtratur, milites omnibus armis munitos confligere debere, ut maximè poſſint publico prodeſſe.*
60. *Pœna illorum, qui hoſtes deditos interficiunt, aut dimittunt abſque Præpoſiti veniâ.*
61. *Quæ captivorum reverſorum ſit coercitio ?*
62. *Utrùm captivi & ægroti illius temporis, quo*

 capti

capti ab hoſtibus aut morbo detenti fuerunt, ſtipendia poſſint exigere?

63. *De his qui morbum aut languorem ſimulant, vel reſectis digitorum articulis ſe debilitant, ad evitanda belli munera.*

64. *Nemo poteſt eodem tempore duas ſimul militias gerere.*

1. QUi modeſtè paret, inquit Cicero *lib.* 3. *de leg.* videtur, qui aliquando imperet, dignus eſſe. Minores illud ſedulò perpendere milites oportet, quorum univerſum ferè in obedientia & reverentia erga Præpoſitos conſiſtit officium; Ducibus imperium datum, his ſola obſequii gloria relicta eſt, neque quicquam eos, illuſtribus licet oriundos familiis, ab hac obtemperatione liberare poteſt, non ambitio, non impatientia, non metus; verum uſque adeò coguntur illorum parere mandatis, ut quamvis potius rem proſperè gerendi occaſionem, quam præfecti negligere debeant imperia. Chryſantam Cyrus egregio palam laudum proſecutus eſt encomio, quod, cum hoſtili jugulo gladium admoviſſet, jam jam illi necem illaturus, fervorem tamen animi dextramque reprimere, & hoſtem ſervare maluerit, quam receptui canentis Imperatoris adverſari præceptis, Plutarch. *in probl. quæſt.* 38. Atque utinam ita quivis hodie milites hanc poſſent ſibi vindicare gloriam! beatum ſane prædicandum foret ævum, beati Duces illis imperantes: verum proh dolor! non aurea ſed ferrea nunc viget ætas; quotuſquiſque reperitur obſecro, qui impunitate propoſitâ queat ab injuriis ac delictis ſibi temperare? *quum polluta ſemel diſciplina militari*, inquit Dictator Papyrius apud Livium lib. 8. n. 34. *non miles centurionis*,

rionis, non centurio tribuni, non tribunus legati, non legatus conſulis, non magiſter equitum, dictatoris pareat imperio: nemo hominum, nemo Deorum verecundiam habeat: non edicta Imperatorum, non auſpicia obſerventur; ſine commeatu vagi milites in pacato in hoſtico errent; immemores ſacramenti, licentiâ ſolâ ſe, ubi velint, exauthorent; in frequentia deſerantur ſigna, neque conveniatur ad edictum, neque diſcernatur interdiu, nocte, æquo iniquo loco, juſſu injuſſu Imperatoris pugnent: & non ſigna, non ordines ſervent. Enimverò, ita cum hominibus eſt comparatum, ut formidine pœnæ magis, quàm virtutis amore debeant in officio contineri, & gravi animadverſionum genere coerceri intra æqui & honeſti cancellos; cum maxima illecebra peccandi ſit impunitatis ſpes: ceſſante ſuppliciorum metu gloriabitur ilico miles, ſibi conceſſum eſſe quælibet impunè perpetrare ſcelera; ſic Juvenalis *ſatyr.* 16. de ſagatis, inquit;

Haud minimum illud erit, ne te pulſare togatus
Audeat; imo & ſi pulſetur, diſſimulet, nec
Audeat excuſſos Prætori oſtendere dentes,
Et nigram in facie tumidis livoribus offam,
Atque oculos medico nil promittente relictos.

Atque ita ab iis ipſis, qui ad defendenda patriæ jura lecti ſunt, ſummæ in ipſam proficiſcentur injuriæ. Unde neceſſum fuit, varias in eos decerni pœnas, qui ſegum militarium, honeſtatem & obedientiam injungentium, reperirentur temeratores; ut hâc methodo communi reipublicæ tranquillitati conſultum magis foret, & quos pudor à crimine non poſſet abſterrere, illos ſaltem ſupplicii terror à delictis removeret, quique rationi ſeſe dare nollent, neceſſitati ſubeſſe tenerentur, tormentis, ſi non honeſtati, parere cogerentur: adeo ut & in

illo Ducis officium conſiſtere Juriſconſultus aſſeruerit, ut delicta ſecundùm autoritatis ſuæ modum caſtiget, *l.* 12. §. 2. *ff. de re milit.*

2. Delicta autem militum vel cæteris communia ſunt, vel propria, *l.* 2. *ff. de re milit.* Communia ſunt, quæ non minus à Paganis quam militibus perpetrari ſolent; & communibus rerum criminalium pœnis coercentur, velut homicidium, adulterium, &c. Propria ſunt, quæ quis uti miles admittit, ſeu omne id quod aliter quam diſciplina militaris exigit, committitur, *l.* 2. *l.* 6. *in princ. ff. de re milit.* Gudelin. *de jure noviſſ. lib.* 5. *cap.* 21. Quædam etiam mixta dici poſſe puto, qualia ſunt, in quæ quidem & Pagani poſſunt incidere; quod ſi tamen ea miles commiſerit, non ordinariâ pœnâ, verùm extra ordinem plectitur.

3. Cæterùm varia ſunt ſuppliciorum militarium genera, veluti caſtigatio, pecuniaria multa, munerum indictio, militiæ mutatio, gradus dejectio, ignominioſa miſſio, *l.* 3. §. 1. *ff. de re milit.* Præter hæc plurium aliorum mentio tam in legibus quam in hiſtoriarum ſcriptoribus injicitur: ſexdecim leviora, viginti quatuor graviora, cognatus noſter Stewechius enumeravit *in comment. ad Veget. de re milit. lib.* 3. *cap.* 4. Alexand. ab Alex. *gen. dier. lib.* 2. *cap.* 13.

4. Si quiſpiam quærat, ubinam puniendus ſit delinquens in bello miles? Ibi eum plectendum eſſe, ubi flagitium commiſſum eſt, Imperatores Severus & Antonius reſcripſerunt, *l.* 3. *in princip. ff. de re militari.* Tum ut illi, qui delicti ſpectatores & teſtes vel autores forte fuerunt, cum illud extra pœnam conſtitutum non eſſe vident, in poſterum à ſimili facinore deterreantur, & eo ſcelere læſi ſolatium quodammodo percipiant, dum criminis

minis in ſe perpetrati rigidam conſpiciunt exigi vindictam; tum etiam quod facilior ibi ſit probatio, ubi ſcelus commiſſum eſt, & interſit Reipublicæ ibi puniri delicta, ubi commiſſa ſunt, *l.* 1. *Cod. Theod. de accuſat.* Quapropter Alexandrum legimus Beſſi diſtuliſſe ſupplicium, donec eo loci perveniſſet, ubi proditione Darius erat interemtus, Curtius *lib.* 7. *cap.* 5. Unde ſi alibi captus fuerit turpis admiſſi reus, eo remittendus erit ubi peccavit, *l.* 7. §. 11. *ff. de cuſtod. & exhibit. reor. l.* 28. §. *pen. ff. de pœnis.* Ut tamen & aliis in locis, in quibus reperitur delinquens, imponi pœnæ poſſint, ſecundùm ea, quæ de foro competente in criminalibus latius tradidi, *in comment. ad Pand. de judiciis num.* 67. *& ſeqq.*

5. Rigidius autem milites quam alii plerunque puniuntur, tùm quod arctiori vinculo ad obedientiam illi ſint obligati, qui publicis aluntur ſtipendiis, tùm quod (ut inquit Valer. Max. *lib.* 2. *c.* 7. *n.* 14.) aſpero & abſciſſo caſtigationis genere diſciplina militaris indigeat, quia vires armis conſtant, quæ ubi à recto tenore deſciverunt, oppreſſura ſunt, niſi opprimantur; cum major iis ſit graſſandi copia, ſi armis ac poteſtate ſuâ abuti velint, ac ferocior ut plurimum natura, quam pœnæ leviores refrenare non facile poſſunt: ut optimè Livius dixerit *lib.* 8. atrocitatem pœnæ obedientiorem duci militem facere. Unde quandoque fit, ut nonnulli magis malâ ſuâ fortunâ quam culpâ pereant; *horum flatus & pondera inventores juris antiqui mollientes*, inquit Ammian. Marcell. lib. 27. *etiam inſontes quoſdam aliquoties ſuppliciis aboleri cenſuere lethalibus*, *quod ſæpè contingit*, *cum ob multitudinis crimina nonnulli ſortis iniquitate plectuntur innoxii.* Nam & ex fuſo exercitu, cum decimus

quiſque fuſti feritur, etiam ſtrenui ſortiuntur: *habet ſcilicet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra ſingulos utilitate publicâ rependitur*, teſte C. Caſſio apud Tacit. Annal. lib. 14. c. 44. Diverſo tamen reſpectu levius quoque milites puniri conſtat, quatenus ne ex eo quidem delicto, ex quo paganus infamiâ notatur, poſt miſſionem famoſi ſunt, *l.* 7. *C. de re milit.*

6. His autem durioribus militum pœnis plerunque ſolent ſubduci tyrones, *l.* 3. §. 9. *ff. de re milit.* Et delictum magis iis imputari, qui temerè tyronibus magni momenti negotia commiſerunt, aut admiſſi turpis præbuerunt occaſionem, *l.* 14. *ff. de cuſtod. & exhibit. reor.* partim quia tyrones ipſi militarium munerum juriſque bellici præſumuntur ignari, & imperitiâ potius ac imprudentiâ quam malitiâ peccaſſe, *l.* 4. §. *in fin. ff. de re milit.* Quamobrem ſi iterato in idem vitium prolapſi fuerint, ceſſat hæc præſumtio, & ordinariâ criminis commiſſi puniuntur pœnâ, *d. l.* 3. §. 9. *ff. de re milit.* partim quia nondum conſtans ipſis eſt judicium, nec animus periculis aſſuetus; ſic ut, ubi Veterani firmi ac ordinibus immoti ſine ulla mentis trepidatione nil præter vulnera, lethumque ſpirant, tyrones ſæpe conſilii conſpiciantur inopes, animis infirmi, metuque pallentes.

7. Etiam ab ordinaria pœna, de jure Romano, liberati milites, ſi non dolo, ſed vino lapſos illos capitale crimen admiſiſſe conſtaret, *l.* 12. *ff. de cuſtod. & exhibit. reor. l.* 6. §. 7. *ff. de re milit.* Quod quidem hodie etiamnum in Paganis locum habet, Consultatien en advysen *part.* 4. *conſil.* 102. 103. 104. Anton. Matthæus *tract. de crimin. in prælegom. cap.* 2. *n.* 14. Aliud tamen ſtatutum in militibus, qui, ſi quod in ebrietate delictum commiſerint,

miſerint, non levius, ſed durius puniendi erunt, *Inſtruct. milit. art.* 67. Quod & quondam Pittacus obſervavit: legem namque tulit, quâ cautum, ut peccantes ebrii duplici afficerentur incommodo. Diogen. Laërt. *in vita Pittaci*, quo magis ſibi cavere cogerentur à vino, ſubdolo illo luctatore, cui multa cohærent, plerunque vitia, & præſertim crudeles mentis impetus: quæ ratio eſt, quod equorum loco pantheras, ſummæ crudelitatis animalia, Bacchi currui Poëtæ junxerint. Unde & ad evitanda imminentia ex vino pericula ipſa ebrietas, quæ in aliis extra legum eſt conſtituta coërcitionem, ſi militem invaſerit, puniri ſolet; adeo ut, quiſquis vigiliarum tempore merô ſemet oneraverit, ignominiâ mittatur, *Inſtruct. milit. art.* 66. Et militiæ navali vacantes, ob ſolam ebrietatem in navi contractam, quatuordecim diebus pane & aquâ nutriendi ſint, compedibus onuſti, ſi Præfecti ſint, reliqui octiduo. ARTIKEL-BRIEF TER ZEE, I. *Dec.* 1690. *art.* 35. cum non ſigna ſequi, non ordines ſervare, non vigilare poſſit, cui per vinum ſublatus rationis uſus. Confer tamen cum hiſce ea quæ de delinquentibus per ebrietatem ſcripſi *in comment. ad Pand. tit. de injuriis num.* 1. ubi alia eſt explicatio legis 6. §. 7. *ff. de re militari.*

8. Porro regulam Modeſtinus univerſalem proponit in *l.* 3. §. 15. *ff. de re milit.* quâ quiſquis in bello rem fecerit à Duce prohibitam, aut mandata non ſervaverit, capitis reus eſt, etiam ſi res bene geſſerit. Quæ quidem Juriſconſulti ſententia originem traxiſſe videtur ex antiqua illa nimiumque religioſa rigidæ Romanorum diſciplinæ militaris obſervatione, quam in tantum cultam legimus inviolabiliter, ut præceptorum bellicorum duo ſeveriſſimi cuſtodes, Poſthumius Tubertus & Manlius

Torquatus, non proprio ſanguini, natiſve pepercerint, verùm eos, quod ſine mandato, licet feliciter cum hoſte conflixiſſent, & onuſti ſpoliis redirent, virgis cæſos juſſerint ſecuri percuti. Valer. Max. *lib.* 2. *cap.* 7. *n.* 6. Quod & ante Manlium executioni mandaverat in filio ſuo Thebanorum Dux Epaminondas; pari namque de cauſa mortis reum coronatum ſecuri percuſſit, Plutarch. *in parallel. n.* 25. Verùm hos ad captandam inanem diſciplinæ Militaris arctiſſimè cuſtodiæ gloriam nimium ſibi ſuiſque natis fuiſſe crudeles, nimiumque dura ac triſtia exercuiſſe imperia cenſeo; quin omnem eos humanitatem & æquitatem exuiſſe merito quis aſſeruerit; cum illud in filios ſtatuerint, ad quod nec officii neceſſitate, nec alio quo juris vinculo compelli potuiſſent. Si in leges nati deliquiſſent, non tamen à parentibus ſuis fuiſſent condemnandi; ſed ad alios remittendi judices, in quos non amoris non odii ſuſpicio cecidiſſet: leges namque diſertis verbis, ne quis ſibi, vel uxori, vel liberis jus dicat, prohibent, *l.* 10. *ff. de Juriſdictione*, niſi forte in voluntaria juriſdictione aut adverſario conſentiente, *l.* 77. *ff. de Judiciis*, junct. *l.* 6. *ff. de Receptis.* Et quamvis illorum judicia laudata videantur & approbata à Paulo Juriſc. in *l.* 19. §. 7. *ff. de Captiv. & Poſtlim.* ubi inquit, diſciplinam caſtrorum Romanis parentibus antiquorum fuiſſe charitate liberorum: neutiquam tamen hæc ad Poſthumiana & Manliana referri debent imperia. Exiſtimarunt quidem Romani juxta illud Fabii, publica inſtituta privatâ pietate potiora judicanda, Valer. Max. *lib.* 2. *cap.* 2. *n.* 4. quatenus nempè filios transfugas velut à virtute Romana degeneres non amplius liberorum nomine ſalutabant parentes: *d. l.* 19. §. 7. non vero, quod filios à parentibus

tibus addictos ſupplicio fuiſſe pulchrum putarent. Quin imo evidens magis eſt, illos ejuſmodi rigida potius execratos fuiſſe judicia: ſi namque filium deſertorem pater obtuliſſet, cum deſertionis pœna regulariter ultimum foret ſupplicium, D. tamen Pius filium in deteriorem ſolummodo militiam dandum juſſit, *ne videatur*, inquit, *pater ad ſupplicium obtuliſſe l.* 13. §. *fin. ff. de re milit.* Et certè, remittenda fuiſſet hæc iis pœna, non minus propter propria merita & egregiam relatam ab hoſte victoriam; quam propter arctum cum Duce conſanguinitatis nexum, & plurimas illuſtres parentum res geſtas. Tiraquel. *Tract. de Pœnis Temper. & Mitig. cauſ.* 49. *n.* 11. 12. Factum illud ab Iſraelitis in Jonathane, quem, cum ex patris jurejurando mortis videretur eſſe reus, ſupplicio ſubduxerunt; tùm quòd Regem parentum nactus eſſet; tùm quòd ſummæ fortitudinis in Philiſtæos exhibuiſſet ſpecimina: *numquid*, inquiunt, *Jonathan morietur, qui fecit ſalutem magnam hanc in Iſraele? abſis &c. lib.* 1. *Reg. cap.* 14. *verſ.* 45. Obſervarunt idem illud priſci Romani, Horatium parricidii reum ob ingens eo die Reipublicæ allatum emolumentum, & acquiſitum in Sabinos imperium, communi voto à morte redimentes, Valer. Max. *lib.* 8. *cap.* 1. *n.* 1. Quo de negotio bellè Florus pronunciavit, lib. 1. cap. 3. *Abſtulit*, inquit, *virtus parricidium, & facinus intra gloriam fuit.*

Quod ſi magnâ milites infamiâ notati, noxâ atque ignominiâ fuerint ſoluti, & dedecoris obliterata memoria, ubi felicibus deinceps culpam correxiſſent præliis, & operam Reipublicæ ſtrenuè navando flagitii labem aboleviſſent, Alex. ab Alexand. *gen. dier. lib.* 2, *cap.* 13. *in fine.* Quidni multo magis

gis præcedentia merita, & ex ipſo damnato conflictu relata victoria mererentur crimen extingui, & impunitatem concedi? Unde & multo mitiores hodiernos hac in cauſa quam Romanorum mores teſtatur, Groenwegen *de Legibus Abrogat. ad l.* 3. §. 15. *ff. de re milit.* ei quippe, qui rupto Ducis imperio cum adverſariis in prælio manus conſeruerit, ſi felicem res adepta fuerit eventum, parci ſolet; ne triſtium alias & aſperorum edictorum imagine perterritus inferior præfectus oblatam quandoque divinitus rei gerendæ tranſire patiatur occaſionem, ſupplicium magis quam inimicorum timens impetum. Quapropter etiam florente Republicâ durum nimis & immane viſum fuit ſummis Romanorum Ducibus, capitalem iis infligere pœnam, qui contra ipſorum mandata cum hoſte decertaſſent? Corbulo namque, quem rigidiſſimum fuiſſe diſciplinæ militaris cultorem, eamque quodammodo collapſam reſtauraſſe conſtat, Pactium & Præfectos ac milites, qui contra præceptum ejus inſuper infauſto certamine congreſſi fuerant, ignominiâ tantum notandos exiſtimavit, extra vallum eos tendere jubens, Tacitus *Annal. lib.* 13. *cap.* 36. Et Dictator Quintius Cincinnatus in Lucium Minutium; M. Furius Camillus in Lucium Furium, qui adverſus ipſorum edicta conflixerant, ceſſerant, ac ſuperati fuerant, vix ullum decreverunt ſupplicium: quin & Furium Camillus in collegam elegit. Livius *lib.* 8.

9. Omnium autem criminum graviſſimum eſt proditio, cujus varias ſpecies enumerat Farinac. *Prax. & Theor. Crimin. lib.* 1. *tit.* 3. *quæſt.* 18. *n.* 78. 79. At hoc loco per proditorem eum intelligo, qui dolo prodeſt hoſtibus aut prodeſſe nititur contra fidem datam vel debitam in perniciem Reipublicæ,

publicæ, quique adeo patriam, omnes omnium Charitates, Cicerone teſte, complectentem, prodere conatur. Quo quidem hominum genere nullum unquam turpius aut magis abominandum ſol aſpexit: cum enim cenſerent antiquiores, non poſſe quemquam eo devenire furoris, ut natale ſolum odio perſequeretur; ſcilicet ut Euripid. inquit in Phœniſſa

Cogimur patriam
Amare cuncti: ſi quis id de ſe negat,
Jactat ſe inani voce, mens alio rapit.

Hi tamen nullam ſanguinis nullam affinitatis & cariſſimorum pignorum rationem habentes, auri ſacrâ ſeducti fame, perfida nefariâ proditione ſtruunt conſilia, & exitioſo alienatæ mentis impetu in patriæ telluris feruntur ruinam. Unde & Athenis eos tumuli privarunt honore, nec mortuos ullâ illius terræ glebâ tegi permiſerunt, quam adeo infeſto, dum viverent, odiſſent animo, Alex. ab Alexand. *gen. dier. lib.* 6. *c.* 14. Et Creontis de Polynice patriam oppugnante, hæc poſt mortem ejus fuit ſententia, apud Sophocl. Antig.

---- Polynices, qui volebat patrios
Exul focos Deos penates funditus
Vaſtare flammis, qui volebat ſanguine
Satiare ſe fratris, atque cives liberos,
Preſſos iniquâ ſervitute abducere,
Huic itaque, publicè univerſæ urbi veto,
Ne quis parentes lugeatve funera,
Sed inſepultum avibus dapes gratas ſinat
Atque canibus laniari & affici à feris.
Hac contumeliâ,

Quin primum iis, qui vendidiſſent auro patriam dominumque potentem impoſuiſſent, Virgilius *lib.* 6. *Æneid.* locum aſſignavit inter omnes, quos ſtatuit

ſtatuit immortales apud inferos pati cruciatus, eosque velut agminis miſerandi Duces recenſet.

Et certè, flebilem maximè & deplorandam ejuſmodi hominum puto conditionem : quanquam enim poſt ſcelus perpetratum fugâ merito ſemet exemerunt ſupplicio, iis tamen ipſis, quibus commodum attulerunt, horrori ſunt : grata ſcilicet proditio, at exoſi proditores, & paſſim ſuſpecti ac hoſtium ferè loco habentur ; *etiam*, inquit Tacit. Annal. lib. 1. cap. 58. *iis, quos anteponunt, inviſi ſunt.* Quis enim obſecro magni momenti res ipſorum auſit committere fidei, qui flocci fecerunt ſanctiſſima violare jura? Hinc & rariſſimè cernimus, optatum iis contingere vitæ finem; cum ſecura vix eſſe queat hujus ſceleris merces, nec perennia proditorum prœmia: vel enim extorres patriæ, per conſanguineos diris devoti, exteris abjecti, infauſtum inter perpetuas calamitates, æternâ ſceleris conſcientiâ comitati, ſpiritum trahunt, & perfidum pectus vagabundi circumferunt; vel miſerandum in modum ex eadem, quâ lucrum ſibi polliciti fuerant, arte pereunt, dum eos ipſos, quibus prodeſſe voluerunt, acerrimos experiuntur hoſtes : quorum, ne ad priſtinum redirent flagitium, damnati ſuffragiis, inter anhelitus & ſuſpiria duris cruciatibus occumbunt. Quid aliud Alexandrum movit, ut Beſſum Darii Satrapam, poſtquam ruptâ fide dominum ſuum Perſarum Regem peremiſſet, in crucem tollendum, & mutilatis auribus, naribuſque, ſagittis conficiendum Regis interfecti fratri daret? niſi quod occaſione ſemet offerente non quicquam clementius exſpectaret ab eo, qui domino ac Regi non pepercerat, à quo ſummum ad honoris faſtigium fuerat evectus ; quodque poſſibile vix cenſeret, externam quemquam

quam adoraturum purpuram, vel reverenter habiturum hoſtis majeſtatem, qui non ab amici Regis corpore crudeles & impias potuerat cohibere manus, Curt. *lib.7.c.5.* Ab ipſis illis inimicis, à quibus ad prodendam patriam fuerat auro corrupta, armis obrutam ac interfectam Tarpeji arcis præfecti filiam, Livius autor eſt lib. 1. *prodendi exempli causâ*, inquit, *ne quid uſquam proditori tutum eſſet.* Pari de causâ Faliſcorum pædagogum pueris captivis Manlius nudatum revinctis à tergo manibus in urbem virgis repelendum exhibuit, Livius *lib. 5.* Pluribus id confirmat Philipp. Camerarius *operum ſubciſivor. part.1. cap. 7. & part. 2. cap.60.*

10. Multis autem modis in proditionis crimen quis incidit: veluti ſi exercitum in inſidias deduxerit; ex amicis inimicos effecerit, & exteros Reges ſubduxerit Principis imperio; quo minus hoſtes in poteſtatem pervenirent procuraverit; commeatu, armis, telis, equis, pecuniâ, aliâve re juverit adverſarios; *l. 4. ff. ad leg. Jul. Majeſt.* Si hoſtem concitaverit, vel hoſti civem tradiderit, *l. 3. ff. d. tit.* Si ejus ope, conſilio, dolo malo, provincia vel civitas hoſtibus prodita fuerit, *l. 10. ff. ad leg. Jul. Majeſt.* Si nuncium inimicis vel literas miſerit, aut ſecreta nunciaverit, *l. 6. §. 4. ff. de re milit.* Et hi vivi comburuntur, vel furcæ ſuſpenduntur, *l. 38. §. 1. ff. de pœnis.* Olim in crucem tollebantur, ante ſublatum, nempe Conſtantini conſtitutione, crucis ſupplicium, Cujac. *5. recept. ſentent. Pauli tit.22.* Proditionis inſuper reus eſt, qui dolo malo, ut hoſtibus prodeſſet, prælio ſeſe ſubduxit, *l. 3. ff. ad leg. Jul. Majeſt.* Uti quondam Iones ſuaſu Themiſtoclis in pugna navali Xerxen deſeruerunt, Juſt. *lib. 2. cap. 12.* Denique, qui ſignum hoſtibus dederit, ſeu notam aliquam iis exhibuerit,

quâ

quâ commodum improvidos & imparatos opprimendi tempus indicatur, *l.* 1. §. 1. *ff. ad leg. Jul. Majeſtat.*

11. Cum vero omnes illi, quos hactenus enumeravi, à læſæ majeſtatis crimine non ſint immunes, etiam perduellionis pœnas non evitabunt; ſed juxta conſtitutionem Arcadii & Honorii Imperatorum ultore gladio plectentur, bonis omnibus Fiſco addictis, *l.* 5. *C. ad leg. Jul. Majeſt.* Antea Romulus lege ſanciverat, ut quiſquis voluiſſet, eos deprehenſos occidere poſſet, tanquam Jovis inferni hoſtias. Tullus deinceps Hoſtilius à Metio Suffetio proditionis ſumturus ſupplicium, quadrigis eum alligatum divelli curavit, Livius *lib.* 1. Unde Ovid. *lib.* 1. *triſt. eleg.* 3.

Sic doluit Metius, tunc cum in contraria verſos
Ultores habuit proditionis equos.

Caſſius Brutus portas hoſtibus aperire cupiens, ac deprehenſus, ab ipſo patre templo, in quod confugerat, ita incluſus eſt, ut inediâ periret. Pari modo Pauſanias proditionis damnatus, cum templi ſanctitate tueri ſeſe vellet, obſtructis cocto latere templi foribus à patre, fame extabuit, eumque mater inſepultum ejecit, Plutarch. *in parall. n.* 21. 22. Germani proditores ex arbore ſolebant ſuſpendere, Tacitus *de morib. German. cap.* 12. Noſtris quoque moribus omnium graviſſima decernuntur in illos ſupplicia. Glorioſæ memoriæ Guilhelmi primi Arauſionenſium Principis patricidam legimus vivum in partes diſcerptum, candenti forcipe ſæpius mutilato corpore, Meteren *hiſtor. lib.* 12. Periit eodem ſupplicii genere, Provinus, qui, licet honeſtâ conditione ac liberali ſtipendio frueretur in Fœderatis Belgii Provinciis, Gertrudisbergæ tamen proditionem molitus fuerat. Reidan.

dan. *lib.* 18. *Annal.* Quin & Ordinum Generalium edicto 17. *April.* 1589. Gertrudisbergæ venditores ultimi ſupplicii rei ſunt declarati, ſic ut non aliâ judicis exſpectatâ ſententiâ capitali poſſent ubique pœnâ plecti. Laqueo etiam addicti duo nautæ, patrimonio ipſorum in Fiſcum redacto 13. October. 1635. quod, cum Ordinum Fœderatorum eſſent ſubjecti, plurima ſæpe clam ſuppeditaſſent inimicis eſculenta aliaque exportari prohibita, Ant. van Dalen, KRYGSRAEDS BESOIGNES, pag. 220. Plurima ſupplicia in eos, qui directo urbium proditionem tentaverant, decreta proditores exhibet d. Autor KRYGSRAEDS BESOIGNES TIT. VAN VERRADERYE pag. 303. 304.

12. Porro non hi ſolummodo in legum pœnam incurrunt, qui proditionis autores fuerint ac artifices, verum & illi, qui perduellibus favorem & auxilium præſtiterint; ipſi etiam conſcii rigidas non effugiunt legum ſanctiones; manifeſtum namque ſatis eſt, in majeſtatis crimine conſcios, ſi ſcelus non detexterint, iiſdem quibus machinatores ſubjici ſuppliciis, *l. 5. §. 6. C. ad leg. Jul. Majeſt.* & inſtructione noſtrâ militari *artic.* 6. cautum, ut ſi quis proditionis agitata conſilia non ſtatim cohortis Præfecto detulerit, non ſecus ac proditor capite plectatur. Neque ſane alia poterit ex ſilentio deſumi conjectura, quam peſſimè tales in Rempublicam affectos, quicquid actum vel agendum eſt tacitè probare, nec per eos ſtare, quo minus omnia patriæ dira ſuperveniant, & univerſus diſſolvatur Reipublicæ contextus; præſertim cum notiſſimum cuique ſit, ejuſmodi proditionis pauciſſimos plerunque reperiri ſocios; adeo ut, conſciis crimen non revelantibus, inevitabilis Rempublicam maneat interitus & everſio. Atque hinc eſt, quod

quod leges, ne conſcius quiſquam probabilem allegere poſſet excuſationis cauſam, omnes penitus ad hujus criminis accuſationem admiſerint, non ſervos repudiaverint de dominis, libertos de patronis conquerentes, & ipſos infames, milites, mulieres, pupillos, ad accuſandum alioquin inhabiles, juxta *l.* 4. 8. *de accuſat.* hoc tamen in negotio præceperint audiendos, *l. pen. C. eod. l.* 7. *l.* 8. *ff. ad leg. Jul. Majeſt.* Quo pacto quondam Ciceroni Fulvia, viliſſimum ſcrotum, Catilinæ conſilia ac conjurationem prodidit. Salluſt. *bell. Catil. cap.* 26.

Verùm dixerit fortè quiſpiam, difficilem eſſe proditionis probationem; cumque de jure Romano debuerit accuſator in crimen inſcribere, ac, ni probaverit, ad talionis ſemet obligare pœnam, atque etiam propter temeritatem quandoque tormentis ſubjici potuerit, *l. in fin. C. de accuſat. l.* 3. *C. ad leg. Jul. Majeſt.* Durum fore, ſimpliciter conſcium, qui ſe probationibus deſtitutum noverit, ad detegendum tamen ſcelus invitum cum vitæ periculo compelli. Reſp. nullam conſcio legem imponere neceſſitatem ſolenni more proditores accuſandi; ſufficit, ſi teſtium laborans inopiâ, fidus in Principem ſubjectus ei, penes quem ſumma reſidet autoritas, crimen & indicia detulerit, atque monuerit, ut ejuſmodi malevolorum declinet inſidias: ea enim, quæ per officium denunciantur, citra ſolennia accuſationum perpendi poſſunt, *L.* 7. *C. de accuſat. & inſcript.* Neque quicquam adverſatur huic opinioni, *l. in fin. C. de abolition.* ubi judicibus injungitur ab Imperatoribus, æquè graviſſimis in criminibus accuſatorem ad ea docenda conſtringere quæ detulit, ac reum ad objecta, quæ negat, diluenda. Neque enim loquitur in caſu ſimpli-

ſimplicis delationis, verum abolitionem ſeu à probando liberationem indulgeri negat, poſtquam per inſcriptionem ſolennem criminis plenam accuſator in ſe recepit probationem, ut patet ex principio *d. l. in fin.* Neque hic admodum Baldi moror autoritatem, qui teſte Alciat. *lib.* 8. *parerg. cap.* 9. impiam ſtatuit aſſertionem illam, ſolos conſcios, ſi crimen non tempeſtivè patefecerint, morte mulctandos, eoque nomine Bartolum & ejus ſectatores apud inferos torqueri dicit. Quod ſi enim in parricidii crimine ſolos etiam conſcios, quamquam extraneos, eodem cum ipſis parricidiis dedendos eſſe ſupplicio jura voluerint, §. 6. *inſtit. de public. judic. l.* 2. *l.* 6. *ff. ad leg. Pompejam de parricid.* Si ſervus non indicans, non proclamans, inſidias ſtrui domino, dum adeſt, mortis reus ſit, *l.* 1. §. 28. *& ſeq. ff. ad Senatuſc. Sylanian.* quanto magis eadem legum ſeveritas obtinere debebit in his, qui patriæ ſalutem ſuæ poſtpoſuerint incolumitati, proditionem non detegentes? juſtum quippe & rationi conveniens eſt, arctius ſubjectum quemque Reipublicæ obſtrictum ſeſe profiteri, quam ſervum domino, quam liberum extraneo; ac proinde magis eum delinquere, qui communem defendere neglexerit Reipublicæ tranquillitatem, quam qui privati cujuſquam conſervationi non omnem curam adhibuerit. Sic ut merito nullus illam culpaverit in proditionis conſcio pœnam, quam etiam in periculi ſingulorum conſcios ſanciverunt legiſlatores, *p. m. Parens Paulus Voet in Comment. ad* §. 3. *inſtit. de public. judiciis n.* 8.

13. Verùm quid ſtatuendum, ſi non viri ſed mulieres proditionis ſeſe ſcelere polluerint, ope conſilio principales facinoris autores juvando? ordinariam etiam in illis pœnam obtinere debere pu-

tem: *arg. l. 3. ff. de bonis damnator.* ubi juriſc. aſſerit, etiam mulierem majeſtatis condemnari poſſe: licet enim fœminæ, ſicut à militiæ removentur officiis, ſic quoque ſexus imbecillitate plerunque liberentur à proditionis inſimulatione; quia tamen nonnullas præter ſexus ſui verecundiam non ſegnius quam viros armis bella geſſiſſe docuit experientia, ut ſuperius dixi; quid ni eodem quoque ſubjugarentur ſupplicio, ubi conſtiterit, in hanc illas fuiſſe delapſas inſaniam, ut à viris perpetrari ſolita non dubitaverint tentare crimina: quod & quandoque eveniſſe teſtantur hiſtoriarum ſcriptores: nam uti Seneca inquit in Hippolyt. act. 2. in fine.

Quid ſinat inauſum fœminæ præceps furor?

Cum enim proditio delictum non ſit, quod ex mentis inconſtantia committitur, in quibus forte mitiores, quàm quidem maſculi, judices experirentur; ſed hic merâ peccetur animi malitiâ, quâ ſummis viribus id unum quærunt, ut obeſſe patriæ, hoſti vero prodeſſe poſſint; in tantum, ut infirmitate potius abſterreri poſſent ab ejuſmodi negotiis, quam ad illa ſectanda moveri; inſuper, quo longius hoc crimen à muliebri remotum eſt modeſtiâ, quoque minus auſuræ præſumuntur, eo & gravius delinquere cenſendæ ſint, ſi quid auſæ fuerint, quod à ſuâ magis quam virorum naturâ alienum eſt; nulla ratio ſuppetit ſatis evidens, cur non iiſdem hic mulieres in officio continerentur ſuppliciis. Anton. Matth. *Tractat. de Crimin. lib. 48. tit. 2. cap. 3. n. 3.*

14. Si quis arcem vel alium quem locum munitum ad defendendum ſibi commiſſum hoſti tradiderit, capite pœnas luet, *l. 3. ff. ad leg. Jul. Maj. Inſtruct. militari art. 52. 53.* Nicol. Boer.

tract. de cuſtod. clavium num. 25. 26. Perez. *ad tit. Cod. de re milit. n.* 39. Quod tamen aliquam ex æquitate limitationem recipit, ſi nempe nondum ſummâ tradens preſſus fuerit neceſſitate: eâ enim urgente, nec affulgente ſubſidii ſpe, cedere parumper hoſtibus expedit, quo poſtea milites ſuperſtites Reipublicæ majus poſſint afferre commodum; quam inevitabile nimiâ pertinaciâ ſubire fatum: cum credibile vix ſit, ad rabiem uſque depulſos adverſarios vitæ cujuſquam parcituros eſſe; tutiora quandoque, ut patriæ prodeſſe poſſimus, eligenda conſilia, licet indigna fermè viro forti viſa fuerint, cedendum paulo fortunæ, & *parendum eſt neceſſitati*, ut inquit Livius lib 9. n. 4. *quam ne dii quidem ſuperant.* Dulce quidem & decorum pro patria occumbere, & pulchram oppetere per vulnera mortem: verum non fortitudinis eſt, ſed amentiæ, tunc armis mordicus velle reſiſtere, cum non ſat rationis in armis eſt; inſani potius quam viri ſtrenui, tunc velle perire, cum nullam moriendo Reipublicæ præſtare poſſis utilitatem; ſed ingentem magis dolorem concites, dum videt, illos flebili morte cecidiſſe milites, & ſeſe jam laborantem iis privatam heroibus, quos in ſalutem atque conſervationem ſuam natos ſperaverat; & collapſa negotia virtute ſuâ reſtauraturos, Ajala *de Jure & Offic. Belli lib.*3. *cap.*18. *n.*3. *& ſeq.* Rectius Leonidas Spartanorum Dux, cum per triduum ſummâ conſtantiâ quatuor millibus armatorum ſtipatus Thermopylas adverſus quingentorum millium defendiſſet exercitum, jamque ſummum montis cacumen ab hoſtibus obſideri cerneret, ſublatâ defenſionis fiduciâ, ſocios hortatus eſt; *recederent, & ſe ad meliora patriæ tempora reſervarent*; idem facturus, ſi non in fatis fuiſſet, vel Regi vel urbi ca-

dendum eſſe. Juſtin. *lib.* 2. *cap.* 11. Quapropter etiam, quicunque Oſtendam, urbem maritimam, ad incitas redacti, poſt perpeſſam trium annorum & octoginta dierum obſidionem, æquis conditionibus Hiſpano tradiderant, non ut victi, ſed ut victores ac vincendo fatigati, ab illuſtriſſ. Principe Mauritio recepti fuerunt, Meteren. *Hiſtor. lib.* 25. Ratio eſt, quod ad impoſſibilia nemo poſſit obligari, ac omni culpâ careat, qui prohibere non poteſt, *l.* 50. *ff. de reg. juris.* Immunis autem à culpa nullo jure puniri poſſit, *l.* 22. *C. de pœnis.* Martin. Laudenſis *Tractat. de Caſtellan. & Caſtris quæſt.* 5. Nicol. Boër. *Tract. de Cuſtod. Clavium num.* 24. Quo facit, quod *in l.* 6. *ff. re milit.* Juriſconſult. ei parcendum eſſe dicat, qui Præfectum in acie deſeruit, ſi reſiſtere hoſti non potuerit, quodque inſtruct. milit. *art.* 52. cautum reperiatur, ne quis ſponte vel ficta quapiam de cauſa commiſſam ſibi ſtationem deſerat: cui conſequens eſt, ingruente majore vi, cui non amplius armis reſiſti queat, illum loco cedere poſſe, concilio militari deſertionis juſtas approbante rationes. Proinde minime laude dignos illos eſſe judico Duces, qui nefas ducunt exercitu diſſipato fugâ ſibi conſulere, Lucii Æmilii, Biantis, ſimiliumque moti exemplis, quorum ille, cum conſternatis Cannenſi clade Romanis ope conſilio ſolatium potuiſſet afferre, oblatum ad fugiendum à Cn. Lentulo Tribuno equum repudiare morique maluit; *tu quidem*, inquiebat. *Cn. Corneli macte virtute eſto! .... abi, nuncia publicè patribus, urbem Romam muniant, ac priuſquam hoſtis victor adveniat, præſidiis firment: & tu me in hâc ſtrage militum meorum patere exſpirare.* Livius lib. 22. n. 49. Bias vero circumventus ab hoſtibus, & quid agendum foret à mili-

militibus rogatus; *quidnam aliud*, reſpondit, *quàm ut vos evadatis incolumes, ipſe cadam.* Plutarch. in Apopth.

15. Dolo autem ſtationem deſerentes læſæ majeſtatis crimini ſunt obnoxii; non item ſi citra dolum alia de cauſa id factum fuerit, Anton. Matth. *Tract. de Crimin. lib.* 48. *tit.* 2. *c.* 2. *n.* 15. Proinde etiam, ut ordinariâ majeſtatis pœnâ plecti debeat, caſtra vel munitiones citra neceſſitatem inimicis tradens, dolum requiri exiſtimo; quod ſi negligentiâ, imperitiâ, imprudentiâ, meticuloſitate defenſionis causâ commiſſum locum adverſariis conceſſerit, pro culpæ modo judicis arbitrio mitius puniendum eſſe, arg. *l.* 14. §. 2. *ff. de cuſtod. & exhibit. reor.* Neque enim illi ipſi, qui timido vel imperito Duci defenſionem injunxerunt, extra omnem culpam conſtituti ſunt, adeoque, ſi quid vitii fuerit admiſſum, etiam ſibi quodammodo debebunt illud imputare: eos quippe noviſſe oportuit illorum conditionem, quorum induſtriæ tanti momenti negotia commendant, Arg. *d. l.* 14. §. 1. *ff. de cuſt. & exhibit. reor.* Unde & M. Fabius apud Livium lib. 8. n. 33. teſtatur, *populi, penes quem poteſtas omnium rerum eſſet, ne iram quidem unquam atrociorem fuiſſe in eos, qui temeritate atque inſcitiâ exercitus amiſiſſent, quam ut pecunia eos mulctarent.* Publium Aurelium, cum ipſius eſſent occupata per hoſtes caſtra, virgis cœſum in gregarium numerum Cotta retulit. Frontin. *de ſtratag. lib.* 4. *cap.* 1. *n.* 31. Plerique ſolâ tales ignominiæ pœnâ cenſuerunt afficiendos; Charundas illos per triduum, muliebri habitu indutos, in foro publico conſidere juſſit. Artaxerxes Ducibus ejuſmodi detractas infamiæ causâ veſtes flagellari voluit, Alex. ab Alexand. *gen. dier. lib.* 2. *cap.* 13. Nec aliam

ſegnitiæ pœnam militibus Orodes Daciæ Rex inflixit, quam ut ſomnum capturi pedum loco capita ponere, & uxoribus miniſteria, quæ ipſis antea fieri ſolebant, facere tenerentur, Juſtin. *lib.* 32. *cap.* 3. Ageſilaus illos veſtibus nudatos incedere per caſtra præcepit. Plutarch. *in ejus vitâ.* Et hoc noſtro ſeculo cuidam Hiſpanorum Tribuno propter puſillanimitatem ademtâ tribunitiâ dignitate data ſolummodo fuit equeſtris turmæ præfectura, velut ad imperium majus inhabili, Meteren. *hiſtor. lib.* 27. Fœderati etiam Belgii Signifero, qui propter imperitiam ac metum ſtationem hoſtibus conceſſerat, remiſſa fuit ab Illuſtriſſ. Principe Auriaco Frederico pœna capitalis, ejuſque loco relegatio decreta. Anton. van Dalen KRYGS-RAEDS BESOIGNES TIT. VAN WANDEVOIREN pag. 319. 320. Alia graviora ſuppliciorum genera in eos, qui commiſſum ſibi locum non defenderant, decreta refert Cotereus *de Jure & Privil. Milit. lib.* 3. *cap.* 8. Ant. van Dalen. *dict. tit. pag.* 316.

16. Cæterùm accidit quandoque, ut urbis vel caſtri Præfectô quidem nec bellica deſit peritia, nec in periculis animi conſtantia, & omnium ſuppetat abundans copia, quibus ab hoſtium impetu civitates obſeſſæ defendi poſſent; militum tamen ille vexetur contumaciâ, deditionem expetentium, & vigilias ſtationes agere, dura belli munera ferre recuſantium, quo fit, ut invitus cum adverſariis de tradendo loco paciſci cogatur. Ne igitur id impune ſibi licere milites exiſtiment, ſtatutum fuit, ut ſi quid eorum contra Præpoſiti mandata commiſerint, fruſtra delicti veniam exſpectent, ſed capitalis protinus ſupplicii rei fiant, *Inſtruct. Militar. art.* 54.

17. Quia vero navium Præfecti non alio ſunt

habendi

habendi loco, quam urbis aut arcis Gubernatores; quippe qui caſtella tuentur aquatica, & ligneis ſeſe muris adverſus hoſtium defendunt incurſus, eandem jure ſubibit ille capitis pœnam, qui ſponte vel levi de cauſâ carinam adverſariis tradiderit, placito Ordinum generalium 17. Januar. 1665. relato ab Aitſema *hiſtor. lib.* 45. *edit. in* 4. *part.* 11. *pag.* 710. Si tamen prioris undique cinctus hoſtilibus ereptum intra Reipublicæ portus deduci poſſe navigium deſperet, nullo jure compelli poterit, ut igne in pulverem pyrium conjecto ſemet unà cum ſuperſtitibus interficiat, uti factum anno 1606. ab Archithalaſſi vicem ſuſtinente Præfecto, Sande *hiſtor. lib.* 3. Eo enim ipſo ſui ipſius fit homicida, ac quantum in ſe eſt fatalem illam à Deo conſtitutam mortis horam accelerare nititur. Quod ſi prohibitum ſit amicum in bello occidere, ſi nefas interimere militiæ ſocios, etiam illicitum erit Præfecto ſibi necem hoc pacto conſciſcere, cum certum ſit, quemque ſibi proximum eſſe, & teneri ſemetipſum ante omnia diligere, nec ullum ſe ſui ipſius adverſarium profiteri poſſe, Parens piæ memoriæ Paulus Voet *in Comment. ad* §. 3. *Inſtit. de juſt. & jure n.* 4. At, inquies, non proprium directo ſui ipſius intendunt homicidium, nec ideo pulverem intendunt tormentarium, ut ipſi indignâ triſtique morte pereant; ſed ut eo modo adverſarios è medio tollentes pulchram Reipublicæ quærant victoriam. Reſp. etiamſi nil niſi commune bonum ob oculos habeant, & eo unicè colliment; peccant nihilominus, dum ad id efficiendum proprio facto de neceſſitate perire coguntur, adeoque directè per ſuam necem procurare ſtudent inimicorum interitum. Cum itaque ſine antecedente ſui ipſius everſione nequeant eum, quem intendunt,

 finem

finem aſſequi; nullo jure poterit aſſeri, per accidens tantum eos ſibi violentas inferre manus: quicquid enim adeſt perpetuo, nec abeſſe poteſt, neutiquam per accidens evenire ſtatuendum eſt. Neque quiſquam dixerit, hoc pacto glorioſa fortium virorum impediri facinora, quibus poſſent mortem contemnentes inimicis grande procurare damnum; quaſi vero non honeſtior alia methodus ſuppeteret, quâ non ſemel hoſtibus ſed ſæpius intentare perniciem, & in maximo diſcrimine conſtantis animi ſigna producere liceret? Quot non ex illo tempore, quo poſtremum incenſa ſponte navis, quot non illuſtres Heemskerckius, Trompius, Galenus, aliique ſummi Duces ab adverſariis tulerunt victorias? quot non memorabiles ſub eorum auſpiciis militantes Præfecti pugnas ediderunt? quot non exhibuerunt egregia ſocii nautici mentis imperterritæ ſpecimina? latius de his vide venerandum avum Gisbertum Voet, *part*. 4. *ſelect. diſput. tit. de homicid. & læſione ſui ipſius*, & Johannem Loccenium *de Jure Maritimo lib*. 3. *cap*. 9.

18. Summum ad hoſtes transfugiſſe nefas eſt, cum degeneres indigenæ relicto patrio ſolo neglectis penatibus, in eorum perniciem ruunt armati; adeo ut, ſi Reipublicæ linguæ conceſſus eſſet uſus, procul dubio ab ejuſmodi ſceleratis velut jugulata cum Cæſare cogeretur exclamare, *& tu quoque fili!* Scilicet, à quâ alti, inſtituti, cui vitam & omnia debent, ei necem inferre non exhorreſcunt; neque ſufficere putant, quod externi reperiantur hoſtes, niſi & illis ſemet adjunxerint, & communis parentis inſultaverint ſquallori & occaſui. Omnes itaque transfugæ pro hoſtibus habendi ſunt, *l*. 19. §. 4. *ff. de captiv. & poſtlim. l*. 7. *ff. de re milit*.

Nec

---- *Nec hunc amicum exiſtimo*,

In patriam quiſquis animum hoſtilem gerit.

Inquit Creon apud Sophocl. in Antigone. Unde & Cujac. 6. *obſervat.* 27. cenſet, in *l.* 8. §. 2. *ff. de pœnis* pro *hoſtes autem*, *item transfugæ*, legendum eſſe *hoſtes autem id eſt transfugæ*: neque enim militum amplius appellatione contineri queunt: ac proinde, licet milites non torqueantur, hi tamen à quæſtione non ſunt immunes, *l.* 7. *ff. de re militari.* Cumque patriæ cives eſſe deſierint, etiam teſtamenti factionem habere nequeunt, Sande *Deciſ. Friſic. lib.* 4. *tit.* 1. *defin.* 2. Groenwegen, Vinnius, parens p. m. Paulus Voet *ad* §. *fin. inſtit. quibus non eſt permiſſ. fac. teſtam.* modò tamen per ſententiam hoſtes fuerint declarati.

19. Pœna autem ordinaria transfugarum, ſive illi Gregarii fuerint, ſive Duces, eſt ultimum ſupplicium, *d. l.* 6. *inſtruct. militari art.* 55. Nonnunquam vivi comburuntur, vel furcâ ſuſpenduntur, *l.* 8. §. 2. *l.* 38. §. 1. *ff. de pœnis.* Et eos, ubicunque fuerint reperti, velut hoſtes Reipublicæ impunè perimere licet, *l.* 3. §. *fin. ad leg. Cornel. de Sicariis.* Fulvium Senatoris filium, cum ad conjurati Catilinæ caſtra tranſiret, ex itinere retractum parens necari juſſit, Salluſt. *in bell. Catilin. cap.* 39. Publius Scipio transfugas Romanos in crucem egit, Latinos ſecuri percuſſit; poſterior Africanus feris eos objecit; Lucius Paulus elephantis, Valer. Maximus *lib.* 2. *cap.* 7. *n.* 12. 13. Marcellus virgis cœſos peremit, Plutarch. *in Marcell.* Etiam eorum conjuges & liberos Hannibal vivos combuſſit, Livius *lib.* 24. Artaxerxes tamen mitius cum transfugis agere cupiens, ignominiâ potius quam pœnâ corporali illos coercuit; juſſit enim, ut ſcortum nudum per caſtra capite circumferrent,

ferrent, Alexand. ab Alex. *gen. dier. lib.* 2. *cap.* 13. Iiſdem transfugarum pœnis obnoxii ſunt, qui capti ab hoſtibus, cum revertendi copiam habuiſſent, remanere maluerint. *L.* 5. §. 5. *de re militari.* Ut & illi, qui donis ac muneribus allecti, Ducis illius, à quo detenti ſunt, partes ſequuntur: quod ideo Cæſaris Centurio ſtupendâ denegavit animi conſtantiâ, cum ei à Scipione vita, dignitates eædem in caſtris & honores offerrentur. *Forſan*, inquit, *iſto uterer beneficio, ſi non ei ſummum ſcelus adjungeretur. Egone contra Cæſarem Imperatorem meum, apud quem ordinem duxi, ejuſque exercitum, pro cujus dignitate, victoriaque amplius triginta ſex annis depugnavi, adverſus armatuſque conſiſtam? neque ego iſtud facturus ſum, & te magnoperè, ut de negotio deſiſtas, adhortor.* Hirt. Panſa de bello Africano cap. 45.

20. Cùm verò transfuga, uti dixi, ex amico hoſtis fiat, dubium eſſe non poteſt, quin eo nomine majeſtatis reus ſit, adeoque & ſolus merito puniatur conatus, licet effectus non fuerit ſubſecutus; veluti ſi ad hoſtes tranſire cupiens deprehenſus fuerit, *l.* 3. §. 11. *ff. de re milit.* In perduellionis namque crimine eâdem ſeveritate voluntatem ſceleris quâ effectum puniri jura voluerunt, *l.* 5. *C. ad leg. Jul. Majeſt.* Et licet Farinacius aſſerat, hodie nullius criminis ſolum conatum ordinariâ coërcendum eſſe pœnâ, ſi voluntas ſortita non fuerit eventum, *prax. & theor. crimin. lib.* 1. *tit.* 3. *quæſt.* 20. *n.* 134. Verior tamen eſt opinio, quam approbat Nicol. Boër. *Tractat. de Seditionibus cap.* 7. *n.* 42. & Groenweg. *de Leg. Abrogat. ad* §. 5. *inſtit. de public. judiciis*; in atrocioribus ſcilicet criminibus majeſtatis & ſimilium etiam nudam voluntatem, modo per actus exter-

nos

nos fuerit declarata, eodem quo crimen conſummatum puniri ſupplicio. Et certè miſera foret Principis, miſera Reipublicæ, miſera denique exercitûs Imperatorum conditio, ſi non forent ordinariâ plectendi pœnâ graviſſimorum criminum rei, qui cum hoſtibus Principis & Reipublicæ ruinam machinantur, ac transfugiendo vires exercitus debilitant; antequam plenum prava & infauſta illorum intentio nacta fuiſſet exitum. *Cætera maleficia*, inquit Cato apud Salluſt, cap. 54. *tum perſequare*; *ubi facta ſunt*; *hoc niſi provideas*, *ne accidat*, *ubi evenit*, *fruſtra judicia implores*. Quid quod juxtà inſtructionem milit. etiam ille capitis reus ſit, qui ſolummodo non impetratâ à Centurione veniâ ultra tormenti jactum à caſtris vel ſignis receſſerit, *artic.* 31. aut citra Præfecti conſenſum de die vel de nocte repertus fuerit extra caſtra vel obſeſſam ab hoſtibus urbem, *artic.* 40. cum vix alius inde quam ad adverſarios tranſeundi præſumi poſſit animus. Unde &, cum anno 1621. 1. Septemb. ex quatuor militibus, dum transfugebant in itinere interceptis, unus tantum ultimo fuiſſet addictus ſupplicio, reliqui revinctis à tergo manibus ſuſpenſi in præceps dimitterentur; id ægrè admodum à Glorioſæ memoriæ Principe Mauritio latum fuiſſe conſtat, ejuſque mandato rigidiorem tribus transfugis ad mortem non condemnatis impoſitam fuiſſe caſtigationem; ſic ut adhuc unus forte ductus laqueo vitam finire cogeretur. Anton. van Dalen KRYGSRAEDS BESOIGNES TIT. VAN OVERLOPERS *pag.* 233. *&* *ſeqq.* Quin imo ſi nonnullæ modo contra ſagatum de transfugiendi voluntate militent præſumtiones, per torturam jure poterit indagari veritas. KRYGSRAEDS BESOIGNES TIT. VAN TORTURE pag. 300.

21. Nec

21. Nec transfuga quiſquam ab ordinaria pœna liberatur, ſi revertendi adeptus occaſionem ad antiqua ſeſe caſtra & ſocios quondam ac commilitones receperit: torquebitur enim, & ad furcam vel ad beſtias damnabitur, *l.* 3. §. 10. *ff. de re milit.* Cenſuit tamen Fabius, in Altinium transfugam ſponte reverſum non eſſe gravi ſæviendum ſupplicio, ſed eum ſolummodo neque pro hoſte neque pro ſocio habendum: *Quod ſi enim*, inquit, *abire ab Romanis liceat, redire ad eos non liceat; cui dubium eſſe, quin brevi deſerta ab ſociis Romana res fœderibus Punicis omnia in Italia juncta viſura ſit?* Liv. lib. 24. n. 45. Quod ſi vero reverſus multos deprehenderit latrones ac transfugas demonſtraverit, ordinaria pœna ſaltem mitiganda, vel etiam quandoque penitus erit remittenda, ſi ingentem inde Reſpublica perceperit utilitatem, *l.* 5. §. *fin. ff. de re milit.* Tiraquell. *de pœn. temper. & mitig. cauſ.* 49. *n.* 1. In eo autem aſſentiri Tiraquello nequeo, quod *d. loco* non pœnam tantum transfugis remitti, verùm illos inſuper affici præmio poſſe ſtatuat; cum diſertis verbis reſcripſerit Imperator Hadrianus, *d. l.* 5. §. *in fin.* nihil transfugæ pollicenti promitti debere; quantumcunque enim emolumenti revertens Reipublicæ contulerit, non tamen ad diluendum majeſtatis crimen, quod ad hoſtes tranſeundo contraxit, ſufficere poterit: ſic ut & illo caſu, quo nullum ab eo ſupplicium fuerit exactum, ex mera potiùs gratia atque Principis clementia, quàm ullo novo merito, pœnæ remiſſio indulta cenſeri debeat.

22. Porrò diſtinguendi ſunt à transfugis deſertores, qui inimicorum caſtra non ſequuntur, ſed numeros, in quos erant relati, ſolummodo deſerunt. Quo pertinent & illi, qui ad diem commea-

tûs

tùs non venerint, *l.* 3. §. 7. *ff. de re milit. Inſtruct. milit. artic.* 26. Socii inſuper nautici moribus noſtris, qui, cum militiæ maritimæ pro Republica nomina dediſſent, eâ relictâ operam ſuam privatis addicunt, *edict. Ordinum General.* 25. *Julii* 1625. aut aliter aufugiunt, ARTIKEL-BRIEF RAKENDE DEN OORLOG TER ZEE. 1. *Dec.* 1690. *art.* 10. Quod quidem inter atrociora militiæ crimina merito computandum: militis namque præcipuum in eo verſatur officium, ut ſignis victricibus jugiter inhæreat, neque recedat ab illis abſque conſenſu regentis exercitum, *l.* 15. *C. de milit. l.* 31. *C. locati.* Sic ut nec Tribunis nec Præfectis conceſſum fuerit juxta Conſtantii conſtitutionem, militibus ſuis commeatum dare; quod ſi iis inconſultis ab obſequio militari ſigniſque milites diſceſſiſſent, Præfecti nihilominus per ſingulos quinque pondo auri Fiſco inferre compulſi, *l.* 2. *Cod. Theodoſ. de re milit.* Cæterùm ad minuendam vel augendam deſertionis pœnam multum confert ordinis & ſtipendiorum dignitas, & gradus militiæ, vel muneris, quod deſeritur, *l.* 5. *ff. de re milit.* Proinde ſi milites fuerint gregarii, videndum, belline an pacis tempore numeros deſeruerint; hoc caſu pedites militiam mutare coguntur, equites ordine pellendi; aſt ubi belli graſſatur calamitas, tam pedites quam equites deſerentes mortis ſubibunt ſupplicium, *l.* 5. §. 1. *ff. de re milit. Inſtruct. milit. artic.* 16. 24. & à quibuſvis impunè trucidari poterunt, *l.* 2. *C. quando liceat, unic. ſine judic. ſe vindic.* Quod tamen noſtræ militiæ moribus non obtinet: nec enim hodie privatâ autoritate deſertorem, niſi forte populantem aut latrocinantem, interimere permiſſum eſt, Nicol. Duyſentdaelders *ad Conſuetud. Amſtelodam. lib.* 1. *cap.* 15. *ibique*

DD.

DD. allegati. Aliquando virgis cæſi publicè venie-runt, Frontin. *lib.* 4. *ſtratag. c.* 1. *n.* 19. Quandoque crura iis exſecta legimus: ſic enim in caſtris edicebatur; *ſigna propria quiſque ſequatur, ſciens, quod ſi remanſerit uſquam, exſectis cruribus relinquetur*,. Ammian. Marcell. lib. 23. Avidius Caſſius manus ac pedes iis detruncaſſe fertur, aſſerens majori diſciplinæ fore miſerabiliter criminoſum vivere quam occidere, Alexand. ab Alex. *gen. dier. lib.* 2. *cap.* 13. Unde & poſtmodum moribus noſtris illa capitalis pœna inſtructione militari conſtituta paulum in iis, qui primâ vice deſeruiſſent, mitigata fuit; ſic ut ſtigmate ſolummodo deſertoris frons notaretur; niſi deſertorum numerus crimen auxiſſet; quo caſu nonnulli forte ducti ſuſpendio plerunque peremti: at iterati criminis ultimum remanſit perpetuò ſupplicium. Anton. van Dalen KRYGSRAEDS BESOIGNES TIT. VAN BRANDMERKEN, *pag.* 44. & *ſeqq.* TIT. VAN LOOTINGE *pag.* 161. & *ſeqq.* TIT. VAN *Mutins pag.* 65. TIT. VAN VERLOOPERS *pag.* 302. 303. Defunctorum autem in deſertione bona Fiſco ſunt addicenda, *l.* 4. *C. de re milit.* Actor inſuper vel procurator, qui deſertorem diu apud ſe deliteſcere ſivit ſciens prudenſque, pœnâ capitali plectetur, *l.* 1. *C. de deſertoribus.* Eumque ultimâ flammarum animadverſione conſumendum inquiunt Imperatores, in *l.* 2. & 4. *Cod. Theod. de deſertor.* Hi vero gregarii non æque deſerendo, ac quidem transfugiendo, perduellionis in crimen incidunt, Anton. Matthæus *tract. de crimin. lib.* 48. *tit.* 2. *cap.* 2. *n.* 13. adeoque ſi nondum perpetrata ſed tentata tantum fuerit deſertio, veluti, ſi dum deſerunt ad ſigna reducantur, ordinariam ex edicto Germanici Cæſaris pœnam evitabunt, *l.* 4. §. 13. *ff.*

ff. de re milit. Quin imo ſi nondum ad urbem pervenerit deſertor, ſed alibi fuerit deprehenſus, ex prima deſertione reſtitui poterit, *l.* 5. §. 3. *l.* 15. *ff. de re milit.* Hinc eſt, quod de Corbulonis ſeveritate velut inſolita Tacitus *annal. lib.* 13. *cap.* 35; *non ut in aliis exercitibus, unum alterumque delictum veniâ proſequebatur, ſed qui ſigna reliquerat, ſtatim capite pœnas luebat.* Quod ſi ſponte reverſus fuerit deſertor, anterioris delicti pœnam non timebit, *l.* 1. *C. de deſertor.* Niſi tamen poſt quinquennium demum elapſum ſemet obtulerit; deportandus enim erit. *L.* 13. §. *fin. ff. de re milit.* Aut niſi plures, cum ſimul deſeruiſſent, intra certum tempus ad ordines reverſi fuerint: illi namque gradu pulſi in diverſa loca diſtribuendi ſunt, *l.* 3. §. 9. *ff. de re militari.* Deſerentium quippe numerus crimen aggravat, *l.* 15. *ff. de tit.* Factum tamen aliquando, ut edictis propoſitis impunitate promiſsâ quilibet ad procinctum deſertores vocarentur; Ammian. Marcellin. *lib.* 27. Quod & nunc fieri, frequens eſt. Sed &, ſi in certum uſque annorum numerum quis nomen ſuum militiæ dederit, vel eâ lege, ut rurſus mittatur, ubi poſtulaverit, non poteſt videri coërcendus tanquam deſertor, ſi, cum ſecundum conventionem ſeſe militiâ mitti petiiſſet, nec tamen obtinuiſſet, à ſignis diſcedat; prout id latius exſequitur Feltman, OVER DEN ARTIKEL-BRIEF. *art.* 16. *lit. E.* Et hæ pœnæ ipſos ac ſolos gravant militiæ deſertores; nam ut alius ex illorum facto ſubiret aliquam vel ſenſus vel damni pœnam, iniquum foret. Unde & ab Ordinibus Generalibus conſtitutum 4. *Aug. anni* 1603. *art.* 6. *vol.* 2. *Placit. Holl. pag.* 114. ipſos quidem deſertores ex lege ac more puniendos eſſe, at eo nomine neque parentes fugientium aut lati-

latitantium, neque vicos aut pagos quorum fuerunt incolæ, ullo modo præſertis teneri, aut ab iis inquietari oportere; ut ita delicta ſuos teneant autores, nec quiſquam alieni criminis ſucceſſor conſtituatur, *l. 26. ff. de pœnis.* Sancimus, inquiunt Impp. *in l. 22. ff. de pœnis, ibi pœnam eſſe, ubi & noxia eſt, propinquos, notos, familiares procul à calumnia ſubmovemus, quos reos ſceleris ſocietas non facit: nec enim affinitas vel amicitia nefarium crimen admittunt.*

23. Non idem, quod in gregariis militibus deſerentibus, per omnia ſtatuendum eſt, ſi majores milites, velut Imperatores, Legati, Tribuni, aliique in gregarios imperium habentes, exercitum deſeruerint; cum enim illi tale quid perpetrantes majeſtatis rei fiant, *l. 2. ff. ad leg. Jul. Majeſt.* etiam ſolus conatus extra legis pœnam non erit conſtitutus. Ejus vero, quod Duces deſerendo perduellionem committant, non item gregarii, non abſurda ratio eſt quam Poëta tradit, cum inquit;

Omne animi vitium tanto conſpectos in ſe
Crimen habet, quanto major qui peccat habetur.

Hanc tamen præcipuè Juriſconſultos moviſſe crediderim, quod gregarios animadverterent hoc crimen admittentes exiguum publico detrimentum inferre, non utique majus, quam ſi commilitonem duello miles obtruncaſſet. At Ducis deſertione non unius tantummodo viri operâ deſtitui Rempublicam: ſed plerunque cohortium ac legionum integrarum auxilio privari: cum parentes milites imperantis, ſine quo prælium inchoare nefas ducunt, ſoleant imitari facta, & Præpoſiti ſui ſequi mores, non ſecus atque ad ſolem ſeſe obvertit heliotropium. Scilicet ut Claudianus ait 4. *conſulat. Honor.*

Mo-

Mobile mutatur ſemper cum Principe vulgus.
Quinimò, licet nonnunquam contingere poſſet, ut neglecto Ducis exemplo ſacramenti memores in fide milites remaneant; conſtans tamen eſt experientia, Præfectis ſuis deſtitutam legionem vel cohortem ad pugnandum minus promtam & idoneam eſſe: *illud ſcire debetis*, inquiebat Perdiccas, *melitarem ſine Duce turbam corpus eſſe ſine ſpiritu*, Curt. *lib.* 10. *cap.* 6. Turbatis ordinibus, non ſecus ac pecora morti deſtinata, milites paſſim trucidantur, autoritate Ducum ac Præfectorum majeſtate carentes, dum quilibet quod ſors ipſi ſuggerit experitur, neque omnibus ad prælium una voluntas eſt, aliis irruendum, hoſti cedendum aliis clamantibus, his jungendas acies, illis ſegregandas eſſe cohortes cenſentibus, atque ita meticuloſi ſtatim terga vertentes, ipſas quoque metu implent animoſas phalanges, turbant ordines, juſtam ac legitimam evertunt militum conſtitutionem; & belliooſum tandem impetu ſecum rapiunt in fugam agmen. Et hoc quoque fundamento nititur, quod gregarii milites plerumque alios ad obeundas vigilias ſuo poſſint loco ſubſtituere, Ducibus tamen, quos non tam corporis vigor, quam potius rei militaris peritia & imperandi ſolertia commendare ſolet, id vetitum fuerit, ſi permiſſio à Tribuno legionis, aliove legionis Præfecto, impetrata non ſit. REGLEMENT VAN DEN 30. JUNII 1681. *art.* 17. Deſertoribus porrò non longè abſimiles ſunt, qui de cohorte tranſeunt in aliam cohortem, non obtenta prius miſſione à Duce priore: quales & ideo ultimo ſunt plectendi ſupplicio, ſive terreſtri, ſive maritimæ militiæ adſcripti fuerint, *Inſtruct. milit. art.* 16. ARTIKEL-BRIEF RAKENDE DEN OORLOGH TER ZEE 1. DECEMBR. 1690. *Artic.* 11.

vol. 4. *Placit. Holl. pag.* 203. & *Placito* 23. *Decembr.* 1690. *dicti vol.* 4. *pag.* 207. Etiamſi non ejuſdem populi, ſed fœderatarum gentium, junctis viribus adverſus eundem hoſtem militantium, cohortem, turmam, aut legionem deſeruerint, adeoque, ut nunc ſunt Reipublicæ tempora, ex Legione Anglicana in eam, quæ fœderati Belgii eſt, aut vice verſâ, ſine miſſione tranſcripti ſint: ſic ut & Præfecti corporaliter puniendi ſint, ſuâque privandi præfecturæ dignitate, ſi ſcientes in militum ſuorum numerum tales retulerint; ſecundùm legem militatem 29. *Decembr.* 1674. *vol.* 3. *Placit. Holl. pag.* 188. Licet ex ipſis legibus antiquis militaribus hi morte plectendi fuerint, maximè, ſi cohortis alterius milites malis ad id artibus induxerint, *Inſtruct. milit. art.* 17. & 56. Confer varia Placita in *vol.* 2. *Placit. Holl. à pag.* 274. *ad pag.* 287. & Placitum Ordinum Generalium. 3. *Novembr.* 1601. *dicti vol.* 2. *pag.* 2243. & quæ ſcripſi *in comment. ad Pand. in tit. de fugitivis num.* 5. *in fine*, & *tit. de ſervo corrupto num. ult. in fine*, ubi etiam adnotatur eorum, qui milites corrumpunt ad id, ut derelictâ cohorte priore cohorti alteri vel legioni ſe adſcribi patiantur. Amplius uti fugitivis olim proximi fuerunt errones, ſic ut erronem Ulpianus cum Labeone dixerit puſillum fugitivum eſſe, & ex diverſo fugitivum eſſe magnum erronem, *l.* 17. §. 4. *ff. de ædil. edicto*, ita quoque proximi deſertoribus cenſendi, qui extra loca cohorti aſſignata vel extra præſidia vagantur ultra tormenti jactum abſque veniâ Præpoſiti, vel extra caſtra locave obſeſſa, licet victus quærendi prætextu: quibus & eas ob cauſas æquè, ac deſertoribus, ultimum ſupplicium dictatum fuit; eo quod ita longius evagantes deſerendi propoſitum fovere potue-

potuerunt, interimque intercepti fingere ac præ ſe ferre redeundi voluntatem, *Inſtruct. milit. art.* 21. 22. 40. Quinimo, ex jure noviſſimo apprehendi & ad præſidia ſua deduci juſſi milites, qui à locis præſidiariis abſentes ſunt, inſtructi quidem veniâ Præfecti ſui, ſed commeatus literis à præſidii Gubernatore dandis deſtituti, Reglement op de wachten 14. Januar. 1688. *art. penult. vol.* 4. *Placit. Holl. pag.* 174. Neque ab hiſce multùm diſtant, qui navali militiæ adſcripti, ſine Præfecti venia extra navem pernoctant; ob id in aquam præcipites dandi, ac ſubtus carinam extrahendi, Artikel-brief rakende den Oorlog ter Zee 1. *Dec.* 1690. *art.* 13. *dicti vol.* 4. *pag.* 203. Quemadmodum ſemel, iterum, ac tertio repetendum hoc pœnæ genus in iis, qui, navibus ſolventibus, in terra remanent, ac poſtmodum ſequuntur: nam ſi omninò emanerent, ad laqueum damnandi forent, *d.* Artikel-brief ter Zee, 1. *Dec.* 1690. *art.* 31. Ne dicam, mortis ſupplicium inveniri propoſitum Centurionibus, optionibus eorum, & Signiferis, ſi à ſignis ſuis diſceſſerint, ſive propria, ſive communia cohortis negotia curaturi, quoties Præfectorum ſuorum aut præſidii Gubernatorum conſenſu carent, *Inſtruct. militar. art.* 38.

24. Quod ſi milites in ardore pugnæ Duces ſuos deſeruerint, & hi hoſtium impares multitudini fuerint oppreſſi, capitale ſupplicium non evitabunt quicunque adverſus ingruentem inimicorum vim defendere Præfectum noluerint, *l.* 3. §. *fin. l.* 6. §. 9. *ff. de re milit.* Quamobrem rectius fecerint, ſi Celtiberorum, Cimbrorum & Germanorum mores ſequantur, quorum illi nefas ducebant prælio ſupereſſe, ſi is occidiſſet, pro cujus ſalute

ſpiritum devoverant, Valer. Max. *lib. 2. cap. 6. n.*11. Penès hos infame per omnem vitam erat ac probroſum, quemquam Principi ſuo ſuperſtitem ex acie receſſiſſe, Tacit. *de morib. German. cap.*14. Si tamen ad tuendum Præpoſitum adverſariis reſiſtere non potuerint, parcendum iis erit, *l.* 6. §. 8. *ff. de re milit.* Neque enim miles, ſi certo certius pereundem ſibi viderit, pedem referre prohibetur, ſed ſuadet illud recta ratio & jus naturæ, eoque in caſu locum obtinebit illud Demoſthenis; *vir fugiens denuò pugnabit.*

25. Quia verò quodammodò videntur Ducum negligere tutelam, qui Præſidis aut Præpoſiti cujuſvis ab excubatione deſiſtunt; deſertionis eos ſubire peccatum juriſconſulto placuit, in *l.* 3. §. 6. *ff. de re militari.* Quamobrem capite puniendi ſunt, *l.* 10. *ff. eod. tit. Inſtruct. milit. art.* 28. Julius Ferretus *de re milit. pag.* 127. *num.* 43. In quo ſtationis munus differt ab excubiis; quiſquis enim illud deſeruerit, plus quidem quam emanſor eſt, non tamen ultimi fiet inde ſupplicii reus; ſed pro delicti modo vel caſtigabitur, vel gradu militiæ dejicietur, *l.* 3. §. 5. *ff. de re militari.* Cæterùm cum iis, qui excubias deſerunt, in pari cauſa ſunt, qui in exploratione emanent, hoſtibus inſiſtentibus, *l.* 3. §. 4. *ff. de re milit.* Ut & illi, qui dormientes in excubatione reperti fuerunt, *Inſtruct. milit. art.* 27. Sic ut impunè Duces vel pulſare vel interimere poſſint dormientem excubitorem, juxta ea, quæ ad propoſitas à Præfecto Liedekercken quæſtiones reſponderunt ſupremi Militares Belgii Fœderati judices, quæſt. 3. quæ exhibet Anton. van Dalen Krygsraeds besoignes. *pag.* 264. & *ſeqq.* Neque nimis rigidum cuiquam videri debet, ultimum in excubitores decerni ſolitum

tum ſupplicium: ſi enim illos officio deeſſe contigerit, qui pro communi militum invigilare debent incolumitate; ſummo ſtatim in diſcrimine verſatur exercitus, aut civitas, juſtaque ſubeſt metuendi cauſa, futurum, ut funditus evertatur & intereat, dummodo ejus aditus hoſtes tentare voluerint; non exſpectato quippe inimicorum adventu tumultuarium coguntur inire certamen, dum temporis anguſtia præſenſque periculum non fert, ut ad ſua ſinguli ſigna ad Duces ſuos ſeſe conferant, ſed territi, inermes, ſine imperio ſine Ducibus palantes, inconditè plerique ſe mutuo premant; arma pauci, plures fugam meditentur attoniti improvisâ clade, ac quis furor, quæve calamitas, aut unde metuenda, quâ ratione potiſſimum declinanda ſit, ignari; atque hinc tot civitates ac caſtra repentino hoſtium impetu expugnata vidimus. Facili negotio Fabius Arpos debellavit, eò quòd nocte concubiâ ſtationem agentes, propter imbrem ſubitò coortum, eſſent dilapſi: portæ namque & mœnia Romano milite repleta jam erant & occupata, antequam præſidiariorum quiſquam animadvertiſſet, ab hoſte civitatem oppugnari, Livius *lib.* 24. Eodem modo à Gallis, qui natando flumen trajecerant, oppreſſi Perſæ, dum excubitores intermedio amnis interjectu ſecuri, placido ſopore membra componerent, Ammian. *hiſtor. lib.* 25. Alia vide apud Ajala *de jur. & offic. bell. lib.* 3. *c.* 17. Et certè, cum Poëtæ ridendo verum dicere, & commentis fabuloſis officii quemque ſui memorem facere conſueverint, non aliud etiam deſignare voluerunt, quam ab excubitorum diligentiâ reliquorum pendere ſalutem, eoſque dormiente vigile nudos & armis exutos inſidiis adverſariorum illico captos eſſe, cum fingerent Mar-

 tem

tem cum Venere furtivos exercentem amores, à Vulcano (dum ſopore correptus erat excubitor à Marte ad obſervandum ſolis adventum conſtitutus) tenuiſſimo reti incluſum, atque ita nudum diis omnibus deridendum exhibitum fuiſſe, Natal. Comit. *Mytholog. lib.* 2. *c.* 6. Nec ante Mercurium Jovis imperio Junonis rapiendæ peregiſſe aſſerunt inſtitutum, quam Argum ei à Junone cuſtodem additum dulci cantu in ſomnum induxiſſet, Natal. Com. *Mythol. lib.* 8. *c.* 18. Si quis tamen miles nauticus in navi excubias derelinquat ante tempus, aut dormiat excubiarum tempore, non morte, ſed proximâ morti pœnâ nauticâ coercetur. Artikel-brief van den Oorlog ter Zee, 1. *Dec.* 1690. *art.* 26. 27.

26. Non etiam levior, quam in excubitores, pœna eſt in illos conſtituta, qui Præpoſito ſuo manus intulerint, *l.* 6. §. 1. *ff. de re militari Inſtruct. milit. art.* 77. (uſque adeo, ut & poſt miſſionem ſocii nautici in Præfectum injurii iiſdem pœnis afficiendi ſint, quibus ſubjecti fuiſſent, ſi talia ante miſſionem admiſiſſent, Placito Ordinum General. 28. Decembr. 1694. *vol.* 4. *Placit. pag.* 207.) Undè & interemto per Præfectum milite, qui vim armatam ipſi intulerat, legis Corneliæ de Sicariis pœnâ abſolvendum eſſe Ducem cenſuerunt in noſtra patria Judices Militares, Ant. van Dalen Krygsraeds besoignes van Absolutie *pag.* 5. Idem eſt, ſi alio modo quemlibet in officio verſantem verbis aut facto læſerint ſagati, *Inſtruct. milit. art.* 75. & Artikel-brief rakende den Oorloch ter Zee 1. *Decembr.* 1690. *art.* 7. Aut induſtriâ fregerint Præfecti vitem, quâ caſtigandi, *l.* 13. §. 4. *ff. de re militari.* Nam & omnis in Ducem contumacia capitalis eſt, *l.* 6. §. 2. *ff. eod. tit.*

Julius

Julius Ferretus *de re milit. pag.* 67. *num.* 10. In tantùm, ut ſi miles ob contumaciam à Centurione caſtigatus, inde mortuus fuerit, homicidii reus non ſit Præfectus, modo occidendi animus defuerit, uti à Conſilio militari Fœderati Belgii judicatum fuit anno 1614. 15. Aprilis. Ant. van Dalen KRYGSRAEDS BESOIGNES TIT. VAN ABOLITIEN *pag.* 1. Hæc quippe, Sophocle teſte in Antigone,

—— *Perdit urbes, turbat, evertit domos,*
Hæc; pugnam ubi res poſtulat, fugas ciet.

Omnes autem illi contumaces rectè dici poſſunt, qui, cum obedire deberent, non obſequuntur, *l.* 23. *ff. de re judicat.* Et augetur contumaciæ crimen dignitate Præpoſiti; ſic ut gravius delinquere cenſendus ſit, qui exercitûs Præfecto vel Tribuno legionis ſuæ, quam qui Centurioni ſemet oppoſuerit, *l.* 6. §. 1. *ff. de re milit.* Cumque Duces inferiores non aliter ſeſe habeant ad Præfectos in caſtris majori poteſtate præditos, quam gregarii ad Præpoſitos inferiores; ſi in eos contumaces reperti fuerint, non magis quam milites ultimi ſupplicii pœnas evitabunt, *Inſtruct. milit. art.* 57. Nec has circa contumacem conſtitutiones meritò carpere quiſquam poterit: quod ſi enim rigidâ ejuſmodi legum ſanctione non inviolabilis fieret Præpoſitorum perſona, ſi non gravis ſupplicii metu intacta maneret eorum autoritas, non aliud quicquam foret exſpectandum, quàm ut evaneſceret diſciplina caſtrenſis, legum militarium vigor decreſceret, & dulcis illa imperantium ac parentium harmonia in lites, diſcordias, & miſerandum tandem converteretur chaos.

Interim quoque ſummâ Præfectos ope niti decet, ne nimis aſperis & faſtuoſis imperiis facilem contumaciæ præbeant occaſionem; affabilitate magis quàm faſtu ac ſuperbiâ militibus illa, quæ per-

agenda ſunt, injungant; comitate potius, quam metu ac terroribus imperent: dominica quippe magis ac tyrannica, quam egregio Duce digna vox illa, *oderint, dum metuant.* Et quamvis in bello milites Ducum & obſequii contemplatione quodammodo ſervorum videantur imitari naturam, Pereſ. *ad tit. Cod. de militari veſte n.* 7. non ideo tamen illis, qui ſe meminerint armato præeſſe, pro libitu conceſſum milites coërcere; verùm ſecundùm autoritatis ſuæ modum illos caſtigare debent, *l.* 12. §. 2. *ff. de re milit.* cùm nec in ipſos ſervos ultra modum ſævire truci crudelitate leges permiſerint; adeo ut, ſi nimis duriter ſervum dominus haberet, æquis conditionibus eum vendere cogeretur, §. *fin. inſtit. de his qui ſui vel alien. jur. ſunt.* Hinc & in Belgio noſtro cohortis equeſtris Præfectus, cum caſtigationis modum excedendo naſum equiti gladio amputaſſet, condemnatus fuit ad exſolvendos vulnerato centum & viginti florenos, Ant. van Dalen Krygsraeds besoignes tit. van Inobedientie *pag.* 150. Vix autem eſt, ut adverſus alterius cohortis Præfectum contumaciam commiſiſſe miles dici poſſit, utpotè qui ſuis tantum Ducibus obſequium promiſit; niſi tamen ad expeditionem ſuſcipiendam vel excubias agendas variis è legionibus aut cohortibus ſelecti Ducis extranei ſubjiciantur imperio: per id enim tempus illius, non ſecus ac ordinarii Præpoſiti, mandatis obtemperare coguntur, capitalis pœnæ comminatione in obedientiam ei detrectantes propoſitâ, *Inſtruct. milit. art.* 47. Idem in illos ut contumacibus affines juxta *d. art.* 47. conſtitutum ſupplicium, qui tympano vel tubâ publicata neglexerint Imperatoris imperia: cum enim novas quotidiè formas edere natura deproperet, *l.* 2. §. 18. *C. de veteri*

jure enucl. & innumeri caſus emergant, in bello præſertim, nullâ legum definitione circumſcripti, neceſſum eſt hoc pacto ſæpe divulgare caſtrorum edicta, nequis ea jure poſſit ignorare.

27. Timoris & ignaviæ incuſatus ab Hyperide Phocion, ac veluti per contemtum rogatus, quo tempore bellum gerendum cenſeret, ſapienter admodum, *tunc*, inquit, *cum milites videro ſuos ordines non deſerere*, Plutarch. in vita Phocionis: nihil enim magis in pugna prodeſſe conſtat, quam ut aſſiduo exercitio milites in acie diſpoſitos ordines indeſinenter ſervent, teſte Vegetio *de re milit. lib.* 1. *cap.* 26. Quapropter etiam olim jurare ſolebant, ſe fugæ atque formidinis ergo non abituros, neque receſſuros ex ordine, niſi teli ſumendi, aut petendi, aut hoſtis feriendi, aut civis ſervandi causâ, Livius *lib.* 22. Quiſquis autem immemor jurisjurandi primus in fugam ſeſe conjecerit, exempli peſſimi crimen admittit, & ab unoquoque impune poterit occidi, *l.* 6. §. 3. *ff. de re militari. Inſtruct. milit. artic.* 51. Adeò ut ſtatuere non vereatur Julius Ferretus, ne eum quidem ab ordine ſigniſque poſſe in prælio diſcedere, cui ab adverſariis grave vulnus fuerit inflictum; & non pœnam arbitrariam, ſed mortis ſupplicium à vulnerato, citra Præfecti veniam aciem deſerente, ſumendum eſſe, *de re milit. pag.* 67. *num.* 12. Eo enim non tantum aliis acriter pugnæ intentis metus infertur, & adimitur ille, qui ante conſpiciebatur, animorum ardor; verum etiam ordinum legitima diſſolvitur conſtitutio, adeoque, quod univerſus adverſariorum procurare nullâ vi potuit exercitus, ordinum nempe confuſiones; id unus & alter ſceleratis efficit commilito; atque ita perfidiâ ſperatum è manibus excutit triumphum, ac victoriam in funeſtam commutando cladem nefan-

dæ

dæ cædis autor eſt. Unde & diro carmine Samnites ſeſe devoventes jurare coacti, ſe non ex acie fugituros, aut ſi quemquam fugientem vidiſſent, eum ſe extemplò occiſuros eſſe, Livius *lib.* 10. Attilius Regulus, equite ante caſtra diſpoſito, edixit, ut quicunque ad vallum tenderet, ſive Samnis eſſet ſive Romanus, eum ſe pro hoſte habiturum, & omnes fugientes tanquam deſertores cædi juſſit, Frontin. *lib.* 4. *ſtratag. cap.* 1. *n.* 29. Poſthumiaus Dictator, cum quoſdam ſuorum perculſos cedere animadverteret, cohorti Prætoriæ ſignum dedit, ut quemcunque ſuorum fugientem vidiſſent, ut hoſtem interimerent, Livius *lib.* 2. Et exercitum eâ de causâ jure monuit Clearchus Lacedemoniorum Dux, Imperatorem potius quam hoſtem metui debere; deſignare cupiens, illos, qui in prælio dubiam mortem timuiſſent, certum, ſi fugiſſent, manere ſupplicium, Frontin. *lib.* 4. *ſtratag. c.* 1. *n.* 16. Quod ſi in acie à nemine fuerint oppreſſi, domum vel in caſtra reverſi infames renunciabuntur, & ultimo ſubjugabuntur ſupplicio, *Inſtruct. milit. art.* 51. Quid quod & illi, quos non inter primos aciem deſeruiſſe manifeſtum eſt, modo de fuga conſtet, majeſtatis rei ſint, *l.* 3. *ff. ad leg. Jul. Majeſt.* ſi tamen dolus adfuiſſe probetur, juxta *l.* 4. & 10. *ff. eod. tit.* Alioquin, ſi ſolâ ceſſerint ignaviâ, perduellionis crimine vacant, ac pro circumſtantiis arbitrio judicis pœnam ſubibunt. Cyrus quidem illos omnes capite puniri voluit, Alexand. ab Alex. *gen. dier. lib.* 2. *cap.* 13. Alii tamen mitius inflixerunt ſupplicium: Marcellus illos, qui ex acie aufugerant, ſequenti prælio prima frequenter induxit in agmina, ut ignaviæ crimen fortitudine expiarent, Plutarch. *in vita Marcelli.* Ac Polybius *lib.* 6. autor eſt, *non omnes fugientes vitâ ſpoliandos; ſed*

ad ſummum ex fugæ reis decimum quemque mortis pœnâ plectendum eſſe. Proinde cohortes quæ ceſſerant, decimatas hordeo pavit Auguſtus. Sueton. *in ejus vita c.* 24. Et Julianus decem ſolummodo milites ex iis qui aufugerant, capitali addixit ſupplicio, Ammian. Marcell. *lib.* 24. Idem *lib.* 25. refert, *iis impoſitum fuiſſe, ut inter impedimenta ac captivos iter facerent.* T. Scaurus filium, quod in Tridentino ſaltu hoſtibus ceſſiſſet, in conſpectum ſuum venire vetuit. Corbulo duas alas & tres cohortes, ea de cauſa, extra vallum per ignominiam tendere juſſit. Nonnunquam coacti eum, unde ſeſe fugâ receperant, locum vi recuperare; hiemem ſub tentoriis agere; galeati ac diſcincti in principiis ſtare. De quibus vide Frontin. *lib.* 4. *cap.* 1.

28. Quod ſi quis non in ipſo quidem prælio, ſed in expeditione, dum iter ſit, agmen exceſſerit, capitale nihilominus crimen admittit: fuſtibus enim cæditur, *l.* 3. §. 16. *ff. de re milit.* quale ſupplicii genus ſæpe fuſtuarium appellari ſolet, & olim in delictis militaribus puniendis frequenter adhibitum, Gudelinus *de jure noviſſ. lib.* 5. *c.* 21. Mortem autem eo naturalem infligi conſtat, ex *l.* 8. §. 1. *ff. de pœnis*, & Tacito Annal. *lib.* 3. *c.* 21. ubi inquit, *decimum quemque, ignominioſæ cohortis ſorte ductos, fuſte necat.* Tribunus enim, teſte Polybio, *lib.* 6. accepto fuſte, vix tantum attingebat damnatum, quod ubi factum eſſet, omnes, qui in caſtris erant, cædentes fuſtibus lapidibuſque pleroſque in ipſis caſtris conficiebant. Atque ita Alexander Severus fuſtibus cœdi juſſit omnes illos, qui de via in alicujus poſſeſſionem deflexiſſent. Ælius Lamprid. *in ejus vita.* Fuſtuarium itaque diſtinguendum à fuſtium admonitione, cui ſimilis flagellorum caſtigatio, quæ mortem naturalem non inferunt, ſed ſub cor-

corporalium coërcitionum genere continentur, *l. 6. l. 7. ff. de pœnis.* Eoque referenda verba legis 28. §. 3. *de pœnis & l. 22. ff. de his qui notant. infam.* ubi fuſtibus cœſi dimitti & infamiâ notari dicuntur. Hodie corporalis tantùm in illos eſt ſtatuta pœna, qui irrequiſito Præfecto ſuo ex agmine exceſſerint: nec quicquam eos juvabit, quod juſtam ac legitimam recedendi poſſint allegare rationem, *Inſtruct. milit. art.* 50. modò tamen moram negotium patiatur ad impetrandam à Duce veniam.

29. Quiſquis urbis muros tranſcenderit, vel per inſueta loca civitatem ingreſſus vel egreſſus fuerit, capite punitur, §. 10. *inſtitut. l. fin. ff. de rerum diviſ. l. 3. §. 17. ff. de re milit.* Neque ſublata noſtris moribus hæc capitalis pœna, uti perperam nonnulli cenſent, cum *Inſtruct. milit. art.* 46. cautum ſit, ut quicunque, ſive Præfectus fuerit, ſive miles gregarius, urbe vel caſtris per vias invias & non per portam exceſſerit, laqueo ſtranguletur: hoſtile enim illud eſt & abominandum, *d. l. fin. ff. de rerum diviſ.* in tantum, ut ne fratri quidem Remo, Romæ muros tranſilienti, Romulus pepercerit, ſed mortis eum multaverit ſupplicio, de quo Plutarch. *in vita Romul. & in problem.* 26. quemque nullo probabili fultus fundamento immerentem cecidiſſe dicit Horatius *epod.* 7.

——— *acerba*, inquit, *fata Romanos agunt*,
Sceluſque fraternæ necis.
Ut immerentis fluxit in terram Remi
Sacer nepotibus cruor.

30. Nec hic admittenda ulla inter muros urbis Romæ & aliarum civitatum diſtinctio, adeo ut ordinaria tantum pœna in Romæ muris obtineret, in aliis vero civitatum mœniis eſſet arbitraria, juxta Clarum *lib. 5. §. fin. quæſt.* 68. *n.* 29. *ibique DD.*

Nam

Nam ſpeciem quidem aliquam benignitatis hæc præ ſe fert diſtinctio, ad juris tamen & rationis excuſſa normam falſa deprehendetur; eo quod textus in *d.* §. 10. *&* *l. fin.* loquatur generaliter de muris, non expreſſo civitatis Romanæ nomine, quodque eadem pro municiporum muris ratio militet, ac proinde idem in illis quoque jus obtinere debeat; cum certum ſit, etiam municipiorum muros ſanctos eſſe, *l.* 8. §. 2. *ff. de rer. diviſ. l.* 2. §. *ne quid in loco publ.* Quæ ſola capitalis pœnæ ratio eſt in murorum urbis Romæ violatoribus, *d.* §. 10. *inſtit. de rer. diviſ.* Carpzov. *crimin. part.* 1. *quæſt.* 40. *n.* 2. *& ſeq.* Balduinus, piæ mem. parens Paulus Voet *in comment. ad d.* §. 10.

31. Cum autem in *d. l. fin. ff. de rer. diviſ.* morte punita dicatur in Remo tranſcendendi voluntas; quæſitum, num illa ſola ſufficiens crimen ſit ad irrogandum ultimum ſupplicium? deſpiciendum eo caſu puto, num laſciviâ, num verò proditionis causâ, tale facinus quis perpetrare voluerit; ut, ſi prodendi appareat animus, etiam ſola voluntas, effectu non ſubſecuto, mortis expianda veniat ſupplicio, cum ex eo ſcelere læſæ majeſtatis reus ſit, *l.* 10. *ff. ad leg. Jul. Majeſtat.* ubi voluntatem atque conſilium iiſdem ſubeſſe pœnis, quibus ſcelus conſummatum, ſupra dixi. Quod ſi cum alio crimine tranſcendendi voluntas non ſit conjuncta, ceſſabit ordinaria in murorum violatores conſtituta pœna, *Arg. l.* 3. §. 17. 18. *ff. de re militari*, in quâ diſertis Juriſconſultus verbis aſſerit, pœnam quidem capitalem iis infligendam, qui vallum tranſilierint; eos verò, qui ſolas foſſas ſuperaverint, militiâ tantum rejiciendos eſſe, Tiraquell. *de pœn. temper. & mitig. c.* 37. Farinac. *prax. & theor. crimin. lib.* 1. *tit.* 3. *quæſt.* 20. *n.* 130. p. m. parens

Pau-

Paulus Voet *in comment. ad* §. 10. *inſtit. de rer. diviſ. n.* 3.

32. Si vero voluntatem ſecutus fuerit criminis effectus, non quicquam intereſſe cenſeo, ut capitali quis addici poſſit ſupplicio, dolone, an laſciviâ ac petulantiâ murorum fuerit violata ſanctitas: licet enim inſpectâ rei veritate magis peccet, qui dolo delinquit & proditionis animo, quam qui culpâ in ingens forte crimen incidit; quia tamen difficillima hoc in negotio eſt proditionis à petulantiâ ſeparatio, & eveniret ſæpiſſimè, ut ſub laſciviæ ſpecie multa dolosè plurimi machinarentur ad explorandam militum præſidiariorum in arcendis iis, qui vallum ſubire tentant, ſedulitatem & diligentiam; inſuper non minus culpâ quam dolo tranſcendens urbis muros hoſtibus iter ac methodum monſtrat occaſione datâ idem moliendi; peſſimi denique exempli res eſt & abominanda, *l. fin. ff. de rer. diviſ.* in qua non uſque dolus requiritur, *arg. l.* 38. §. 5. *ff. de pœnis.* Ideo non ſine juſtâ ratione murorum ſanctitas à quibuſvis capitali pœnâ defenditur, & ejuſmodi ſanctionum ſeveritate civibus & incolis, valli fidentibus præſidio, præſtatur ſecuritas. Nec eſt, quod de nimis atroci delinquens conqueratur pœnâ, cum antea ſciverit, vel utique noſſe debuerit, propter periculoſas ſequelas in tranſgreſſores ejuſmodi rigido ſupplicio leges animadvertere voluiſſe, adeoque ſibi ipſi maxime debeat illud imputare. His adde, quod conſtitutionis illius, quâ decretum hoc ultimum in tranſilientes ſupplicium, vis & efficacia primitus à Romulo fuerit introducta; inquiebat enim, cum fratrem interimeret; *ſic deinde quicunque alius tranſilierit mœnia mea*, Livius lib. 1. Atqui conſtat ex eodem Livio, Plutarcho & aliis, non dolo

vel hoſtili animo, ſed per ludibrium & irridendi gratiâ ſaltu ſuperatos à Remo Quirini muros. Fruſtra igitur quiſpiam contenderet, illud, quod primam legis promulgandæ præbuit occaſionem, ejus eximendum eſſe ſanctioni.

33. Porrò non is tantum in crimen incidit, qui muros tranſilierit, ſed & qui alio quocunque modo violaverit, ruperit, ſuffoderit, vel in illos deliquerit, §. 10. *inſtit. de rer. diviſ.* Nam & ſi perforaverit, vel aliquid inde abſtulerit, lege Juliâ peculatûs procul dubio tenetur, *l.* 11. *ff. ad leg. Jul. peculat.* Unde prohibitum quoque, ne quis civitatis muros reficere, vel abſque conſenſu magiſtratûs illis inædificare ſuſtineat, *l.* 9. §. 4. *ff. de rer. diviſ.* Chriſtinæus *vol.* 4. *deciſ.* 149. Tulden. *ad tit. Cod. de operibus public. n.* 1. Manzius *in comment. ad* §. 10. *inſtit. de rer. diviſ. num.* 34. p. m. parens Paulus Voet. *ad d.* §. 10. *num.* 2. *ibique DD. citati.*

34. Utrum autem capitale ſupplicium æquè pacis ac belli tempore debeat obtinere, controverti ſolet: & hoc in bello tantum ſervandum, in pace vero pœnam arbitrariam infligendam eſſe cenſent. Clarus *ſentent. lib.* 5. *fin. quæſt.* 78. *n.* 29. Farinac. *prax. & theor. crimin. lib.* 1. *tit.* 3. *quæſt.* 20. *n.* 131. Cujus hanc meritò dixeris eſſe rationem, quod in pace non idem immineat ab adverſariis periculum, neque tantus ſubſit metus, eos inſidiis invaſuros urbem vel caſtrum, parens p. m. Paulus Voet *in comment. ad* §. 10. *inſtit. de rer. diviſ.*

35. Quod ſi tamen belli tempore, hoſtibus undique inſtantibus, & aliâ quâlibet evadendi ſublatâ ſpe, ad conſervandam vitam per muros & valla caſtri vel civitatis quiſpiam intraverit, (veluti ſi in anteriore depreſſiore vallo, vulgò *fauſſe-braïe*, ex-

cubans

cubans hoſtium impetum amplius ſuſtinere nequeat, & ad portam itinere ipſi intercluſo per vallum intra mœnia ſeſe recipiat) mitiori ſane ſupplicio pro judicis militaris arbitrio plectendus erit, vel etiam pœnæ prorſus eximendus, Pappus *in comment. ad art.* 46. *inſtructionis milit. ibique DD. allegati.* Tum, quod jus naturale dictet cuique, modis omnibus vitam eſſe conſervandam: nam & bruta cernimus rationis ſenſu carentia, ubi ſe conſtricta vident, omnes elabendi tentare vias, & quicquid ipſis natura ſuggerit in auxilium adhibere; quodque nullam neceſſitas legem ferat, atque adeo debeat in illo caſu legum ſilere vigor: tum etiam, quod utilius ſit & laudabilius ad meliora patriæ tempora ſeſe reſervare, præter legis mandatum aliquid tentando, quam temerariâ quâ & ſuperſtitioſâ illius obſervantiâ & vitam perdere, & bono pariter ac fideli patriam ſpoliare viro.

36. Quæſitum inſuper, num mortis pœna in murorum violatores ſtatuta etiam ad non milites extendi debeat? De jure Romano illam univerſos, nemine penitus exemto, manere ſubjectos intelligimus ex Pomponii reſponſo *in l. fin. ff. de rer. diviſ.* Noſtris autem moribus mitius cum non militibus arbitrio judicis agendum putem, modo dolus & proditionis abſit animus; quia in Inſtructione milit. *art.* 46. ſolius militis aut Præfecti mentio injicitur: cumque illa pœnalis ſit & odioſa conſtitutio, ad caſus non expreſſos, adeoque ad non milites extendi nullo modo poteſt; regula namque juris eſt, odioſa non extendenda ſed reſtringenda potius eſſe, *arg. l.* 19. *ff. de liberis & poſthum. hæred.* ac benignè ea quemque interpretari debere, *l.* 155. §. 2. *ff. de Reg. juris*, licet eadem forte ſubeſſet ratio. Auguſt. Barboſa *axiom. juris* 181. *n.* 9.

n. 9. 10. 11. præſertim in ſuppliciis militibus infligendis, quippe quorum delicta ſolito rigidius puniri ſolent in bello, ubi nemini conceſſum bis peccare.

37. Unicum diſcutiendum ſupereſt dubium citra pœnam capitalem in murorum tranſgreſſores ſancitam, quando ſcilicet & quibus in urbibus locum habeat? Groenwegen *de leg. abrogat. ad l.* 3. §. 17. 18. *ff. de re milit.* cenſet irrogandum non eſſe mortis ſupplicium, niſi violati fuerint urbis obſeſſæ vel caſtrorum muri, eo quod *d.* articuli 46. ratio (quæ anima legis) ſit imminens ab hoſtibus diſcrimen. At hanc opinionem minus hodiernæ bellandi methodo convenire exiſtimo; rationem quidem d. articuli fateor eſſe periculi metum: ſed non minus hæc in non obſeſſis militat urbibus, quam in iis, quæ hoſtili cinctæ ſunt exercitu: certum enim eſt, hoc tempore non ſemper obſidione in poteſtatem redigi civitates; ſed plerunque ſummos id moliri Duces, ut aſtu & ſtratagemate quopiam citra obſidionis formam munito poſſint aliquo potiri loco. Notiſſimum vel lippis & tonſoribus, hac ratione, cum longè remotos inimicos exiſtimarent Veſaliæ, Bredæ, aliarumque munitionum præſidiarii, captas & occupatas ex improviſo illorum urbes. Sic ut diſtinguendum rectius cenſeam cum p. m. Paulo Voet *ad* §. 12. *inſtit. de rer. diviſ.* inter urbes limitaneas ſeu præſidiarias & non limitaneas; in illis ordinariam belli tempore pœnam obtinere, quippe quæ ſingulis ut ita dicam momentis adverſariorum expoſitæ ſunt viribus & inſidiis: in his vero pœnam quam leviorem pro facti circumſtantiis infligendam eſſe, cum non idem hic ſubſit impetus improviſi vel doli periculum, nec ad meditullia Reipublicæ armatâ manu

M hoſtes

hoſtes pervenire queant, niſi expugnatis prius ac captis munitionibus præſidiariis reditum alioquin intercludentibus.

38. Seditione nihil in exercitu pernicioſius, nihil ad eum evertendum, & infringendas ejus vires idoneum magis eſſe conſtans eſt opinio; dum vel in duas ſcinditur partes armata multitudo, vel à Ducum ac Præfectorum alienata obſequio, in illos armata conſpicitur, cædem illorum, vulnera, & atroces meditatur injurias, ac cruentarum litium ſpectaculo lætitiam movet adverſariis: ſicut enim fontes, ut primum ab aquarum ſcaturigine diſtorti ſunt, celerrimè exareſcunt, nec limpidiſſimas in ſinu recipiunt aquas; ſic & exercitus, ſimul atque nec ſuis ſubeſt Præpoſitis, eorum exſequi mandata detrectans, nec ſibi cohæret, ſtatim vires amittit & in nihilum redigitur; ilicò velut intemperie ac dirâ peſte turbatur illius tranquilitas, & dum ſpecioſum quoddam ad omnes ſpectans prætexitur velamen, ſinguli privatas ſuas in adverſariis inter tumultuandum vindicant injurias, longe conſopita reviviſcunt odia, & in luctuoſâ illâ militum à Ducibus, legionum à legionibus diſſenſione quilibet truculentis animis eorum revocant memoriam, ſuper quibus ante dudum tranſactum fuit; tam ſanguine commilitonum caſtra fœdantur, cæſorum ſociorum cadaveribus ſquallent tentoria, ipſi Duces inter infeſtos animam precariam agunt; ejiciuntur tribuni, includuntur legati, interficiuntur centuriones: adeo ut fruſtra Præfecti ſecum habituri ſint lectiſſimam fortium virorum manum ſi inter illos reperti fuerint feſtinantes ac gnari turbas dare; fruſtra ducturi ſint exercitum in ſe fidum, dicto ſuo obedientem, ſi permixti ei fuerint ejuſmodi, qui nihil magis optant, quam fauces avidas ſociali ſatiare

tiare cruore, & ſeditionis canentes claſſicum, turpem cæteris facinoroſo molimine ſuadent ab Imperatore ſuo defectionem, ac iis parere ducunt indecorum, quorum antea ſponte ſeſe ſubmiſerant imperio. Quapropter & militum & civium nomine indignos illos pronunciavit Germanicus apud Tacitum *Annal. lib.* 1. *c.* 42. *quod*, inquit, *nomen huic cœtui dabo? militeſne appellem? qui filium Imperatoris veſtri vallo & armis circumſediſtis. An cives? quibus tam projecta Senatûs autoritas.* Et certè, hoſtium magis quam amicorum loco numerandi; quippe qui Reipublicæ graviora, quam infenſiſſimi hoſtes, inferunt incommoda, optatam adverſariis aut acquirendæ victoriæ præbentes occaſionem, aut ſufficiens victis fugâ ſibi conſulendi tempus, dum in illos ſegnes ſunt. Namque ut innumera gentium aliarum ac ſeculorum exempla ſacro involvam ſilentio, non alia res initio belli adverſus Hiſpaniarum Regem Belgarum Ordinibus utilior, hoſti vero pernicioſior exiſtit, quam Hiſpanorum tumultus militaris. Inſigni ſæpè parto triumpho, cum tempus & occaſio Ducibus Hiſpanis illius ſuaderet proſecutionem, militum mota derepente ſeditio illis obſtitit. Excitatus Harlemo captâ caſtrorum tumultus; orta Ziriczæâ occupatâ exercitus turba; cæſo ad Movicum Naſſovio militum, enata tumultuario commoda, quæ ex victoria ſperaverant, è manibus excuſſit, & prorſus impedivit inchoati feliciter negotii progreſſum, Reidan. *lib.* 1. 2. *Annal.*

39. Eſt autem ſeditio ſtrepitus militum commotorum in turbam ruentium, Farinac. *lib.* 2. *conſil.* 169. *n.* 26. ſic dicta, quia ſeorſim itur in varias partes, & ab aliis ſeceditur. Ac à criminis hujus reis illicò ſupplicium ſumi Reipublicæ intereſt, *l.* 10.

ff. de appellat. & pœnâ quidem capitali *l.* 3. §. 19. *ff. de re milit.* Nicol. Boër. *tract. de ſeditioſis cap.* 7. *n.* 61. Quæ tamen non omnibus eſt infligenda tumultuantibus; ſed ſolis ſeditionis auctoribus, qui vel animoſius tumultum concitarunt, vel ſaltem jactantius motæ ſeditionis ſibi vindicarunt gloriam, *l.* 1. *in fine ff. ad leg. Jul. Majeſt. l.* 2. *C. de ſeditioſis.* Julius Ferret. *de re milit. pag.* 86. *n.* 18. alias enim eveniret illud, quod in Syllæ dominatione meritò damnavit Lucanus, *lib.* 2. *de bello Cæſ. & Pomp.*

Exceſſit medicina modum, nimiumque ſecuta eſt,
Quâ morbi duxere, manus. Periere nocentes;
Sed cum jam ſoli poſſent ſupereſſe nocentes.

Extirpandus eſſet univerſus exercitus ejuſmodi contaminatus flagitio, neque ſupereſſent quibus imperares, quibuſcum hoſtium ſuſtineres impetus. Proinde reſcindatur ſolummodò immedicabile vulnus, ne in poſterum pars ſincera trahatur, ſola tollatur tumultûs cauſa, ceſſabit effectus; plectantur autores, pacata ac tranquilla erit omnis multitudo, nec imperantium contemnet imperia. *Magnanimi viri eſſe*, Cicero aſſerit 1. *Offic. cap.* 24. *rebus agitatis, punire ſontes, multitudinem conſervare*; & Vegetius *de re milit. lib.* 3. *cap.* 4. inquit, *rectius eſt more majorum in autores criminum vindicari, ut ad omnes metus ad paucos pœna perveniat.* Hi enim ſoli multitudinis innocentes corrumpunt animos, & malitiâ ſuâ ſceleris conſortes faciunt eos, quibus ad tumultum nulla mens eſt, quippe adeo non deliberato conſilio, ſed maleferiatorum quorundam furiis agitati ac decepti, impetu vel temeritate peccant; ut tranquillum naturâ mare ventorum flatibus commovetur: quam in rem egregia Scipionis Africani verba apud Livium lib. 28. *n.* 27. *cauſa,* inquit, *in vobis atque origo omnis furoris penes autores,*

tores eſt, vos contagione inſaniſtis. Unde duo educit argumenta Anton. Matthæus *tract. de crimin. lib.* 48. *tit.* 2. *c.* 2. *n.* 6. ad liberandam à pœna multitudinem, ſcilicet, & plebem ignorare quantum crimen committat, & pravis orationibus magis, quam proprio motu ad ſeditionem concitari. Quapropter in Pannonicarum legionum turbâ Druſus ſolos autores Percennium & Vibulenum intrà tentorium vocatos, interfici juſſit, Tacit. *Annal. lib.* 1. *cap.* 29. & Leontius urbis Præfectus inter innumeros ſeditioſorum cuneos dudum vagatus, unicum Petrum Valvomerum, tumultuantium anteſignanum, manibus revinctis arreptum laqueo adduxit, Ammian. Marcellin. *lib.* 15. Quod ſi in ſceleris hujus partem, in ſocietatem turpiſſimi facinoris venerint & Duces quidam, ante omnes alios gregarios meritis & atrocibus erunt ſubjugandi ſuppliciis, *Inſtruct. militari art.* 8. Atque ita Decurionem in Belgio ad mortem ante alios condemnatum fuiſſe, quod ſeditioſis ſe miſcuiſſet militibus, autor eſt Ant. van Dalen KRYGSRAEDTS BESOIGNES TIT. VAN RUMOER *pag.* 287.

40. Autores autem ſeditionis vel legis Corneliæ de Sicariis pœnâ puniuntur, *l.* 4. §. 4. *ff. ad leg. Cornel. de Sicar.* vel etiam pro dignitatis qualitate in furcam tolluntur, aut beſtiis objiciuntur, aut deportantur in inſulam, *l.* 38. §. 2. *ff. de pœnis.* Vulgarem ſeditionis pœnam fuiſſe teſtatur Alexander ab Alex. *gen. dier. lib.* 2. *c.* 13. ut ejus autores ad palum deligati, ſecuri percuterentur: reliquâ ex multitudine decimus quiſque plecteretur ſorte ductus. Alexander Magnus eos in flumine mergi mandavit, Macedonibus cæteris ignominioſè à corporis cuſtodia ac ſatellitio depulſis, & ſurrogatis in illorum locum Perſarum lectiſſimis, Curt. *lib.* 10.

cap. 3. 4. Seditioſam legionem Cajus Curio, dum cæteræ armatæ ſtarent, inermem procedere, & diſcinctam ſtramenta ſecare, poſtero die milites eosdem diſcinctos foſſam fodere juſſit (cum alioquin gladiis cinctos foſſam aperire moris eſſet, juxta Vegetium *de re milit. lib.* 3. *cap.* 8.) legionis nomen abolevit, & in ſupplementum cæterarum milites diſtribuit, Frontin. *de ſtratag. lib.* 4. *cap.* 1. *n.* 43. Quandoque ab ipſa multitudine interemti tumultus principes, ſic ut cædibus illorum gauderet miles, tanquam ſemet abſolveret. De Germanicis legionibus ad priſtinam redeuntibus obedientiam Tacitum audiamus; *diſcurrunt*, inquit Annal. 1. cap. 44. *mutati, & ſeditioſiſſimum quemque vinctos trahunt ad legatum legionis primæ Cajum Cetronium, qui judicium & pœnas in hunc modum exercuit. Stabant pro concione legiones deſtrictis gladiis: reus in ſuggeſtu per tribunum oſtendebatur; ſi nocentem acclamaverant, præceps datus trucidabatur.* Hodie ſeditionis autores laqueo vitam finire compelluntur, *Inſtruct. militar. art.* 7. vel etiam capite truncantur, Sande *deciſ. Friſic. lib.* 5. *tit.* 9. *defin.* 12. aut militari more ſclopetorum exponuntur ictibus. Quandoque non ultimo ſupplicio ſed corporaliter puniuntur, qui in navi ſeditionem aut conſpirationem tentant; uti & illi, qui de ſeditione aut conſpiratione interpellati, hoc ipſum non detexerint Præfecto navis aut conſilio navali; ad quam detectionem etiam prœmio invitantur florenorum quinquaginta, ſi participes ſceleris haud fuerint; viginti quinque vero, ſi factione uſi ſint, ſed maturè, pœnitentiâ ducti, prodiderint. Artikel-brief rakende den Oorloch ter Zee 1. *Decembr.* 1690. *art.* 22. Quod ſi plures reperiri nequeant aut dignoſci à cæteris autores, ſorte nonnulli legun-

tur,

tur, qui, ut alii inpoſterum abſterreantur à ſimili flagitio, ſuſpendi ſolent è patibulis, ut primarii tumultûs concitatores, uti Judicatum fuit 31. Maji 1647. à Fœderati Belgii Judicibus militaribus, Anton. van Dalen KRYGSRAEDTS-BESOIGNES TIT. VAN ENORME DISORDRE *pag.* 152. & *ſeqq.* Eâdem pœnâ plectuntur illi, qui clandeſtina de nocte vel in locis abditis & occultis celebrant comitia, *d. art.* 7. cum inde nulla niſi de ſeditione movenda capi poſſit conjectura, vel ibi ſaltem in Reipublicæ vergentia ruinam & interitum inter illos agitari conſilia: uti & qui turbam aut coactionem hominum procurant, aut conventum, ad petendam pecuniam, aut alios fines, *Inſtruct. milit. art.* 35. quique in rixâ aut pugnâ nationis ſuæ milites in auxilium vocant, atque ita homines cogunt, *Inſtruct. milit. art.* 39.

41. Atque hæc capitalis pœna in eos ſtatuta, qui graviorem concitaverint in exercitu tumultum; ſi vero intra vociferationem vel levem querelam mota fuerit ſeditio, remitti poterit à judice mortis ſupplicium, *l.* 28. §. 3. *ff. de pœnis*, & dejiciendos ſolummodò militiæ gradu illius autores, Modeſtinus cenſuit in *l.* 3. §. 20. *ff. de re milit.* Quæ tamen lex ad illam merito reſtringitur vociferationem, quæ non tendit in Principis exitium vel Reipublicæ ruinam, ſed ad privati tantum alicujus everſionem vel conſervationem, aut ad impetrandum aliquod emolumentum, propter itineris moleſtias, commeatûs anguſtias, & alia innumera, Nicol. Boër. *tract. de ſeditioſis cap.* 7. *n.* 52. 53. Farinac. *de crimine læſæ Majeſt. quæſt.* 113. *n.* 183. 201. Anton. Matthæus *tract. de crimin. lib.* 48. *tit.* 2. *cap.* 2. *n.* 5. Alioquin non ſecus vociferator, atque quilibet alius perduellionis reus,

puniendus erit, *l.* 1. *ff. ad leg. Jul. Majeſtatis.*

42. Quod ſi ſeditio quidem excitata fuerit contra Principem vel Rempublicam, nullum tamen adhuc inde ſenſerint incommodum publica negotia, quæri poſſet, an & illo caſu mortis obtinere debeat ſupplicium? Negat illud Farinacius *d. tract. de crim. læſ. majeſt. quæſt.* 113. *n.* 203. Ego verò maximè id affirmandum exiſtimo; cum ejuſmodi turbarum autores utique malo in Rempublicam affecti fuerint animo, neque per eos ſteterit, quo minùs ſaluti publicæ ingens ſuperveniſſet calamitas; ut proindè eventu fruſtrata illorum intentio non ſit extra rigidam legum conſtituenda ſanctionem; præſertim cum dubium non ſit, illos majeſtatis læſæ commiſiſſe crimen, *d. l.* 1. *ff. ad leg. Jul. Majeſt.* Neque quicquam repugnant hiſce in medium allatæ à Farinacio pro contrariâ opinione leges, nempe *l.* 28. §. 3. *l.* 38. §. 2. *ff. de pœnis*: quòd enim attinet legem 28. §. 3. illa neutiquam de ſeditionis agit autoribus, ſed de aſſeclis tantum & autores ſequi conſuetis, juvenibus ſcilicet, *qui in quibuſdam civitatibus turbulentis ſe acclamationibus popularium accomodare ſolent*, ut inquit ibi Juriſconſultus; quales non ordinariâ ſeditioſorum pœnâ, ſed mitiori diximus eſſe coërcendos. Secundo reſpondeo, *d. l.* 28. non loqui de tumultu contra Principem vel Rempublicam fabricato, ſed de aliis, popularium nempe agitatorum factionibus, quæ quidem in urbe quatuor conſpiciebantur; pannoque verſicolore per ſingulas certabatur factiones, Veneta ceruleo, viridi Praſina, albo Albuta, Ruſſata roſeo colore micabat; & iis ſæpe magnates ipſique ſtudebant Imperatores, Alex. ab Alexandro *gen. dier. lib.* 5. *cap.* 8. Philipp. Beroald. *in comment. ad Sueton. in Cæſ. cap.* 11. *& Calig. c.* 4.

c. 4. Cujac. 8. *obſervat.* 29. Anton. Matthæus *tract. de criminibus lib.* 48. *tit.* 2. *cap.* 2. *n.* 5. Hinc verò plerunque naſcebatur tumultus, & factionum favore quandoque in vulnera & cædes populus ruebat. Undè & curæ Præfecti ubi mandatum legimus, popularium tueri quietem, eumque in finem ſtationarios per urbem diſponere milites, *l.* 1. §. 12. *ff. de offic. Præfecti urbis*, qui quales fuerint docet Tacitus *Annal. lib.* 13. *cap.* 24.

Quod autem ſpectat *l.* 38. §. 2. *ff. de pœnis*, illa de turbæ concitatæ non agit autoribus ſed actoribus, ut plerique habent codices; ſic ut ſenſus legis ſit, actores ſeditionum non ultimo ſemper affici ſupplicio, circumſtantiis tamen crimen aggravantibus etiam ad duriſſimas judicem poſſe pœnas progredi. Quod ſi quis cum Cujacio 5. *ſentent. Pauli tit.* 22. legendum putet *autores* uti & Hervagii habet editio, dicendum erit etiam in hâc lege 38. de tumultu tractari ex factionibus orto, cujus principes exilio vel capite plecti potuerunt, *arg. d. l.* 28. *ff. de pœnis.*

43. Seditioni non multùm diſſimilis eſt conjuratio in malam ſumta partem, in quantum utraque à ſubjectis perpetratur paganis aut militibus, cum clanculùm quidam inter ſe conſilium ineunt de invadenda Republica, & occupandis in ea præcipuis honoribus, ac expellendis armatâ manu civibus bonis & honeſtis, quibus in votis eſt ſceleratos impedire malevolorum conatus. Ut rectè definiri poſſit confœderatio inter aliquos ſubjectos in perniciem Reipublicæ ac imperantium inſtituta, *l.* 5. *C. ad leg. Jul. Majeſtat.* Quâ etiam lege, bonis publicatis capitalis in illos pœna conſtituta ab Arcadio & Honorio Imperatoribus, quam & olim luculentâ oratione contra Cæſarem defenderat Por-

Porcius Cato apud Saluſt. de bello Catilin. hoc pacto concludens in fine, *quare ita ego cenſeo; cum nefario conſilio ſceleratorum civium Reſpublica in maxima pericula venerit, hique judicio T. Volturtii & legatorum Allobrogum convicti, confeſſique ſint, cædem, incendia, aliaque fœda atque crudelia facinora in cives, patriamque paraviſſe, de confeſſis, ſicuti de manifeſtis rerum capitalium, more majorum ſupplicium ſumendum.* Quod etiamnum hodie obtinet, *Inſtructione milit. art. 5.*

44. Ut autem magis conjurationis appareat natura, differentias, quibus à ſeditione diſtingui poteſt, paucis exhibebo. Inſtituitur itaque conjuratio paulatim, animo deliberato, libratis dudum ac ventilatis utrinque de Republica evertenda conſiliis: ac repentè ſeditio movetur; & torrentium in modum, ut citò tollitur, ità poſt graviſſimas turbas ociter ſubſidet & priſtinæ quieti reſtituitur. In illa præſtari ſolet jusjurandum, & alia adhiberi ſolennia; ſic in Catilinæ conjuratione ſanguinem humanum è patera à conjuratis hauſtum fuiſſe docent Salluſtius & Florus *lib. 4. c. 1.* in hac nec jusjurandum nec ullæ aliæ interponuntur ſolennitates. Illius aliqui principes exiſtunt ac veluti capita deteſtandi facinoris; hæc ſæpe concitatur ab omnibus in pari dignitatis gradu conſtitutis, & æquali pollentibus autoritate, à militibus gregariis vel urbis ſentinâ. Latius plerunque vagatur conjurationis incendium, ſi non initio, ac velut in herba fuerit oppreſſum; diutius durat, & difficilius extingitur, ubi paulum invaluit, quam quidem ſeditio.

45. Capitis quoque pœna moribus noſtris in illos milites eſt conſtituta, qui Ordinibus generalibus, vel aliis Provinciarum rectoribus maledixerint,

rint, *inſtruct. milit. art.* 9. Sæpiſſime namque proximo maledicum os non minus nocet, quam ſtrictus enſis aut novacula, quibus paſſim Propheta David maledicentiam aſſimulare ſolet, *Pſalmo* 52. *verſ.* 4. 57. *verſ.* 5. 59. *verſ.* 8. & *alibi.* Unde *etiam in cogitatione ſua Regi ne quis maledicat*, Salomon ritè monet. *Eccleſiaſt. cap.* 10. *verſ. ult.* Et certè injurioſæ illæ voces abundè demonſtrant, male affectum erga Magiſtratus animum & viduum moderatione pectus, ut non immerito præſumi poſſit, illos, ſi hoſtilia machinandi contra proceres daretur occaſio, & auſuros & paratos futuros; cum non niſi ex odio vel improbitate prodire poſſit maledicendi virulentia; ulciſcuntur ſcilicet maledictis ademtam malefaciendi licentiam, & quam diu per manus non licet, per linguam utique perduelles eſſet cupiunt atque furioſi. Zoilus Amphipolitanus, Polycratis auditor, rogante quopiam, cur omnibus malediceret, verè *quoniam*, inquit, *male facere non poſſum.* Nec dura nimium cuiquam videri debet hæc Ordinum conſtitutio ad coërcendam effrenis linguæ promulgata licentiam, quaſi, ut Imperatores reſcripſerunt, *in l. un. C. ſi quis Imperat. maledixerit*, ſi maledicta ex levitate proceſſiſſent, contemnenda eſſent; ſi ex inſania, commiſeratione digna; ſi ab injuriâ, remittenda; Antigoni forte moti exemplo, qui duorum militum prope prætorium graves in illum criminationes proferentium non alio modo repreſſit amentiam, quam dicendo; *non vos aliquo longius hinc digreſſi male loquemini de nobis*? aut Philippi Macedonum Regis, qui maledicum quempiam non pœnis, ſed blandis verbis, & egregiis cumulavit muneribus, Plutarch. *de cohibend. iracundia.* Si quis enim Arcadii & Honorii dicta legis unicæ autorum vitas peni-

penitius inſpexerit, hanc illorum ſtultam & intempeſtivam fuiſſe clementiam, & lenitatem non admodum proſperè iis ceſſiſſe videbit: ſi namque unquam alii, hi ſanè præcipuè in plurima à ſubjectis adducti fuerunt amittendi imperii pericula: Ruffinus, ad quem hoc Principum miſſum fuit placitum, Gothorum potentiâ elam adipiſci nitebatur imperium; palàm, ut in Regni ſocietatem adſciſceretur, ab Arcadio petere non verebatur. Cajanus poſtea ſeditionem, conſpirationem, & apertum tandem civile movit bellum. Conſul etiam Eutropius nimiam ipſius indulgentiâ nactus potentiam, principatum affectabat. Stilico verò ab Honorio ad Eucherium filium ſuum imperii ſummam transferre conabatur; ſic ut mirum in modum inter tot tempeſtates, tumultus, ac diſcrimina ſervati fuerint. Præterquam quod *d. l. un.* non agat de militibus, quibus, cum Principis alantur ſtipendiis; minus convenit in illum bacchantium more maledictis inſanire; quibuſque proinde, ſi quid in eum, cui magis obſtricti ſunt, fautorem commiſerint, graviora ſunt irroganda ſupplicia. Quòd ſi ſeditioſas habuiſſe conciones inter milites, quibus ad contumaciam impelli poſſent, læſæ majeſtatis crimen ſit; in tantum, ut capitalem pœnam non effugiat, qui, cum illas audiviſſet, præfecto non indicaverit, *l. 1. ff. ad leg. Jul. Majeſtatis*, *inſtruct. milit. art.* 10. Nullam ſanè rationem video, quo minus idem decernatur in illos ſupplicium, qui verbis Ordinum majeſtatem læſerint; cum certò conſtet, nihil ad atrocem concitandam ſeditionem magis conducere, quam ſi quis aſperis & injurioſis in Præpoſitorum vel Principum res geſtas invehatur dicteriis, præſertim penes milites, quos cæteris ad tumultus & ſeditiones propter

ter animorum ferociam proniores eſſe omnium ſeculorum monſtrarunt exempla. Atque hinc eſt, quod Archidux Auſtriæ Albertus, ne in turbas ruerent Hiſpani milites, edicto vetuerit, ne quiſquam finiſtri quid de Oſtendæ ſpargeret obſidione, pœnâ corporali in tranſgreſſores edicti decretâ; cumque Bruxellenſes duo mercatores ejus criminis rei ac convicti eſſent, ultimo ſtatim mulctati ſupplicio, Sande *hiſtor. lib.* 3. Æqualis illos manebit pœna, qui maledicta in Ordines temerè effutita & in ſeditionem tendentia coram gregariis repetierint, aut ut ab aliis audita narraverint militibus, *Inſt. mil. art.* 11.

46. Si quis commilitonem ſuum gladio vulneraverit, capitali pœnâ plectendus erit, *l.* 6. §. 6. *ff. de re milit.* Sic duo ſclopetis ſunt interemti milites 24. Junii 1631. eo quod in conſpectu legionis depugnando vulnus ſibi mutuo inflixiſſent. Quin & ſi gladium ad feriendum illum, qui hoſtis non eſt, vaginâ ſolummodo miles eduxerit in caſtris, aut urbibus Præſidiariis, vel poſt diſpoſitas vigilias, vel etiam ante vallum, aut caſtra, ſine Præfecti venia, capitis hodie reus eſt, *Inſtruct. militari art.* 32. Et in ſociis nauticis cæteriſque maritimam obeuntibus militiam gentium quarundam ſtatutis introductum fuiſſe, teſtatur Johannes Loccenius *de jure maritimo lib.* 3. *cap.* 8. *n.* 18. ut cultrum vel gladium ſtringentes in commilitonem vel ſocium eam cogantur ſubire pœnam, ut culter per mediam ipſorum manum transfixus inter digitos extrahatur, vel ipſi trahantur ſub carinam, etiamſi vulnus nondum ſit inflictum ex ejuſmodi pugnæ præludiis. Licet læſio ex noviſſimo Belgii fœderati jure requiratur, ut ſub carinam tractio locum habeat. Confer den Artikel-brief rakende den Oorlogh ter

Zee 1. *Decembr.* 1690. *art.* 37. 38. 39. Quid quod militares Fœderati Belgii judices rogati 13. Maji Anno 1634. eum, qui vaginâ gladium eduxerat intra caſtellum, ſex menſium ſpatio ad triremes damnamdum eſſe cenſuerint, Ant. van Dalen Krygsraedts besoignes tit. van absolutie *pag.* 9. Quod juſtum; cum & de jure Romano, quiſquis hominis occidendi causâ cum telo obambulaverit, lege Corneliâ de Sicariis teneatur, §. 5. *inſtit. de publicis judiciis.* Parens p. m. Paulus Voet *in comment. ad d.* §. 5. Quod ſi lapide, vel fuſte, vel enſe vaginâ condito, aut alio quo ſimili inſtrumento commilitoni vulnus inflixerit, militiâ rejicitur, *d. l.* 6. §. 6. *ff. de re milit.* Hodie manûs amputatione tale delictum expiari ſolet, *Inſtruct. milit. art.* 18. 33. Differentiæ autem ratio inter plagam gladio & plagam alio inpactam inſtrumento reperitur in *l.* 1. §. 3. *ff. ad leg. Cornel. de Sicariis.* Ubi enim gladium quis ſtrinxit ac percuſſit, dubium amplius non eſt, quin occidendi animo vulnus inflixerit, adeoque pro homicida habendus erit, cum in maleficiis non ſolum eventum, ſed & voluntatem ſpectari reſcripſerit Hadrianus Imperator, *l.* 14. *ff. ad leg. Corn. de Sicar.* ſi ſcilicet voluntas illa per actum homicidio proximum manifeſtata fuerit, *arg. l.* 18. *C. ad leg. Jul. de adulteriis.* Si vero lapide vel clavi vulneraverit, non adfuiſſe præſumitur idem ille occidendi animus, ut eo caſu non de peremto ſed de vulneraro tantum homine teneatur, *d. l.* 1. §. 3. Olim 12. tabularum lege, nullo habito perſonarum vel inſtrumenti diſcrimine, tam in paginis quam militibus propter membrum ruptum talio erat, propter os fractum vel depalmatum 25. aſſes; quæ pœna in illa veterum paupertate ſatis gravis viſa legiſlatoribus, §. 7. *inſtit.*

de

de injuriis. Cum autem improbus quidam pariter ac opibus abundans Lucius Neratius pro delectamento haberet os hominis depalmare, cui ſtatim per ſervum pediſſequum 25. aſſes numerari curabat, hæc legis 12. tabularum pars in deſuetudinem abiit, & per recuperatores injuriæ poſtea fuerunt æſtimatæ, *d.* §. 7. A. Gellius *noct. Attic. lib.* 20. *cap.* 1. Parens p. m. Paulus Voet *ad d.* §. 7. Sed in uſum quodammodo revocata videtur hodiernis moribus in militibus hæc priſcorum Romanorum lex talis: ſi enim militi miles colaphum impegerit, cautum eſt, ut ab adverſario, ſpectante universâ cohorte, pugni ictum recipere cogatur, quo læſæ parti abundè ſatisfactum eſt, *Inſtruct. milit. art.* 34. Ut autem & Reipublicæ ſatisfiat, cujus intereſt à maleficiis abſtineri, discinctus militiâ rejicitur injurioſus, etiamſi diſertis verbis pro delinquente delicti remiſſionem peteret à judicibus injuria affectus; cum non amplius ipſis ſed Reipublicæ cauſa videatur agi, *d. art.* 34. Quod ſi alio modo quis alium re vel verbis læſerit, præſentibus excubitoribus, læſi reſtituet honorem, *Inſtruct. milit. art.* 44. Si vero quempiam ex domeſticis non militem verberaverit, primâ vice per triduum incarcerandus erit, pane & aquâ nutriendus; iterum in idem incidens delictum ignominiâ mittetur, *Inſtruct. milit. art.* 18. Pari modo detractis armis militiâ rejicietur, qui cum adverſario conciliari recuſat, ſi probari nequeat, uter prior contumeliam intentaverit, *Inſtruct. milit. art.* 45.

47. Sunt autem hæc omnia ita conſtituta, ne forte quiſpiam conqueratur, impune ſibi injuriam illatam, adeque contumeliam ipſe vindicet, & armis exiſtimationis læſæ petat reſtitutionem, ad ſingulare certamen adverſarium provocando: Quod qui-

quidem in pleriſque regnis olim laudi ductum; cum moris eſſet, ut plurimæ gladio judice deciderentur inter privatos controverſiæ, ut latè docet Parens p. m. Paulus Voet. *Tract. de Duellis cap.6.* Recentiores verò Principes & Magiſtratus Chriſtiani ejuſmodi inhibere duella ſummoperè ſtuduerunt; quippe quibus viri ſæpè ſtrenui, qui in ingens Reipublicæ commodum & emolumentum nati videbantur, ſtultâ ac perniciosâ ambitione pugnantes miſerè pereunt; quibus civis in municipem furiis agitatus ruit; ſocius armatur in ſocium, applaudentibus inimicis publicis, tot heroas illuſtres cruentis litibus privatas inter injurias conſumi, totque ſingularis pugnæ deſiderio æſtuantes vulneribus ac cædibus in ſua ſævire viſcera. Quapropter, ſi miles in hanc auſus fuerit prorumpere veſaniam, ut abſque præpoſiti caſtrorum veniâ commilitonem duello provocaverit, licet nondum pugna fuerit inchoata, jure tamen militari à mortis ſupplicio non erit immunis, *Inſtruct. milit. art.42.* Scilicet cum ad deſtinatum uterque certaminis locum ſeſe confert, hominis occidendi causâ cum telo obambulat, quo fit, ut ſtatim incidat in legem Corneliam de Sicariis, §.5. *inſtit. de publ. judic.* Nec ab illa mortis pœna eximendum puto provocatum: poſtquam enim duelli recepit in ſe conditiones, eadem illi quæ adverſario mens eſt, & æquè vulnera ac perniciem illius animo meditatur. Prudenter itaque fecerit, quicunque oblatam recuſaverit monomachiam: ſic enim optimè legum militarium poterit evitare ſanctiones, neque id dedecori verti cuiquam poteſt; nam & ipſis cum hoſtibus ſummi viri ſordidum duxerunt & inglorium ſingulare de ſumma rei certamen inire. Teutoni cuidam provocanti Marius nunciari juſſit, *ſi cupidus mortis eſſet,*

eſſet, laqueo eum vitam poſſe finire, Frontin. *de ſtratagem. lib.* 4. *cap.* 7. *n.* 5. Pari fermè ratione Pyrrho reſpondit Antigonus; Auguſtus Antonio, duello belli juſtitiam terminari petentibus, Plutarch. *in ipſorum vitis.* Verùm quid ſtatuendum, ſi quis innocens & contumeliis impetitus inſuper ad tentandam certaminis ſingularis aleam ab adverſario provocatus fuerit? Conſultius nihilominus erit illud detrectare; cum non ſui ipſius debeat eſſe judex, nec Martis judicio, ſed fori diſceptatione terminandæ ſint privatorum lites; ſunt judices militares, quorum poterit opem & auxilium implorare, ab illis honorem ſibi reſarciri petat, ne in ipſorum officium involare videatur: ſingulis quippe concedendum non eſt, quod per magiſtratum fieri publicè poteſt, ne majoris inde tumultus oriatur occaſio, *l.* 176. *ff. de reg. juris.* Præterquam quod innocens, provocantis indulgendo petitioni, eidem ſeſe cum illo vulnerum mortiſque periculo committat; unde plus ei dedecoris advenire poſſet; dum à ſpectatoribus ex infelici certaminis eventu pro nocente habetur, & ob commiſſum creditur ſuccubuiſſe crimen; atque ita ad recuperandam illam, quam ablatam injuſtè ſibi putat, exiſtimationem veram, quam rebus adverſus hoſtes publicos ſtrenuè geſtis ſibi paraverat, ſæpe perdit fortitudinis famam. Quòd ſi tamen nimis æſtuantis iræ commotus fervore rationis audire non potuerit habenas, ſed duellum ſuſcipiendo inciderit in notabilem multorum calamitate voraginem, ordinariâ illi pœnâ remittenda erit, caſu quo non plenum monomachiâ ſortita fuerit effectum; uti judicatum ſæpius in Belgio Fœderato, Ant. van Dalen KRYGSRAEDS BESOIGNES TIT. VAN DUELLEN, *pag.* 78. & *ſeq.* Illud tamen excubitoribus Præpoſitum ſupplicio

cio non eximet, ſi rixantes ad depugnandum extra mœnia tendere permiſerit; ſed mortis nihilominus ſubibit pœnam, *inſtruct. milit. art.* 43. Plura ſi quis circa duella & duellatores omnis generis, tam publicâ munitos autoritate, quam alios deſideret, peculiarem legat Parentis p. m. Pauli Voet tractatum *de Duellis*, & nuperrimè editum Michaëlem Fredericum Ledererum *de jure belli privati*. Cæterùm poſt hæc ſcripta conditum fuit, ſummo bono publico, edictum, adverſus duella, eorumque præludia, ſocietatem, & ſimilia ſeveriſſimè inſurgens, 31. *Martii* 1684. *vol.* 4. *placit. Holl. pag.* 162. cujus ex eo tempore religioſa ſatis obſervatio atque executio multis, alioquin abſque utilitate Reipublicæ veſano more perituris, ſaluti fuit.

48. Atque hæc quidem ad illos pertinent, qui iniqui & injurii in commilitones eſſe voluerint: ſin autem ſemet ipſum conſulto quis vulneraverit, vel alias conatus fuerit ſibi mortem conſciſcere, diſtingendum cenſuit Hadrianus, an doloris impatientiâ, aut tædio vitæ, aut morbo, aut furore, aut pudore mori maluerit; utrum vero aliis de cauſis violentas ſibi voluerit inferre manus; illo caſu ignominiâ talem mitti præcepit; hoc vero juſſit eum ultimo plecti ſupplicio: qui enim ſibi non pepercit, multò minùs aliis parcet, *l.* 6. §. 7. *ff. de re militari*. Idem reſpondit Paulus Juriſconſultus in *l.* 38. §. *fin. ff. de pœnis*, & Marcianus in *l.* 3. §. 6. *ff. de bonis eor. qui ante ſent. mort. ſibi conſciv.* Quæ Imperatoris & Juriſconſultorum inde proceſſit opinio, quod philoſophorum Stoicorum imbuti præceptis, haud illicitum aut indecorum, ſed ſummâ dignum laude putarent, ad evitandas inſtantes hujus vitæ miſerias meliore fortunâ mortalem immutare ſortem, & ſponte mortis arbitrium ſibi ſumere;

mere; ne forte poſtea cogerentur ignominioſum experiri vitæ finem, ſi modo ſceleris abeſſet conſcientia. Nec ab hac ſententia in univerſum abhorruerunt Epicurei & Ariſtotelici, teſte Grotio *in comment. ad acta Apoſtol. cap.* 16. *verſ.* 29. Innocentiæ probandæ gratiâ ſibi manus violentas intulit Lucretia: ita enim de illa cecinit Poëta;

Cum foderet ferro caſtum Lucretia pectus,
Sanguinis & torrens egrederetur, ait;
Teſtatur cunctis, me non violaſſe pudorem
Ante virum ſanguis, ſpiritus ante Deos.

Ventrem ſibi ſcidit Uticenſis Cato, ne Cæſaris imperio parere cogeretur, Pompeji ab initio belli civilis ſecutus partes, Panſa *de bello Afric. cap.* 88. Coccejus Nerva, divini humanique juriſperitus, illæſo ſtatu, corpore integro, moriendi conſilium cœpit, & abſtinentiâ cibi exſtinctus eſt; ſolummodo, ut gnari cogitationum ejus ferebant, ne inhoneſtus ei vitæ finis contingeret, Tacitus *Annal. lib.* 6. *cap.* 26. Contriſtati uxorum morte Cajus Plautius & Marcus Plautius vitæ tædio gladiis ſuis incubuerunt, Valer. Max. *lib.* 4. *c.* 6. *n.* 2. 3. Porcia Marci Bruti uxor, ejus auditâ nece, indito in fauces incenſo carbone periit, Plutarch. *in vita M. Bruti. Martialis lib.* 1. *epigr.* 43. Morte voluntariâ Mamercus Scaurus damnationem anteivit, *ut dignum veteribus Æmiliis*, inquit Tacitus *Annal. lib.* 6. *c.* 29. In ipſa curia depromptum ſinu venenum hauſit Agrippa Vibulenus eques Romanus, *idem lib.* 6. *c.* 40. Multa alia paſſim reperiuntur apud Tacitum exempla illorum, qui non ſceleris conſcientiâ, ſed improborum metu accuſatorum & injuſti ſupplicii ſibi vim intulerunt, quæ enumerare tædioſum foret. Quin imo Maſſiliæ venenum quondam cuſtoditum, quod ei publico ſolebat de-

creto dari, qui juſtas ſexcentis ſenatoribus eum in finem electis cauſas exhibuiſſet, propter quas mors illi eſſet expetenda, Valerius Max. *lib.2.cap.6.n.7.*

49. Longè autem aliud ſacer Codex, aliud incorrupta ratio & amor ſui dictat mortalibus; nullo nempe pacto conceſſum cuiquam eſſe proprium in corpus ſævire; edixit enim Deus, *Geneſ. cap. 9. verſ. 5.* ſe requiſiturum ſanguinem humanum de manibus hominis & de manibus beſtiarum. Et ſexto præcepto vetuit, ne quis occidat, quod tam propriam quam proximi vitam concernit, præſertim cum quiſque ſemper ſibi proximus ſit, Anton. Mathæus *tract. de crimin. lib.* 48. *tit.* 5. *cap.* 1. *n.* 9. Quod ſi ante conſtitutum tempus ſtationem deſerere nequeat aſſignatam à Duce miles, nefas ſanè erit à Deo ſummo Regum Imperatore commiſſam hujus vitæ cuſtodiam ejus injuſſu relinquere: quis enim legitimam auſit illam militis pronunciare excuſationem, ſi ad diluendum ſtationis deſertæ delictum tædio vel pudore ſeſe receſſiſſe dixerit? Inſuper membrorum ſuorum nemo dominus eſt, proinde vim iis inferrè nemini permiſſum, *l.* 13. *ff. ad lege Aquil.* Nec contrarius ſibi dicendus Ulpianus, dum in *l.* 9. §. 7. *ff. de peculio* reſpondet, naturaliter licere ſervis in ſuum corpus ſævire: neque enim ibi per naturam deſignatur recta ratio naturalis, quaſi verborum ſenſus eſſet, jure naturæ liberum eſſe ſervo ſeſe præcipitare vel occidere. Verum per naturam prava potius ibi denotatur voluntas & corrupti ſervorum mores, quibus, ut pretio ſui dominos fraudarent, ſeſe mutilabant vel interimebant, quod impedire non poterant domini, cum captivitate naturalem hanc licentiam ſervi non amiſiſſent. Ea eadem hæc occurrit *naturæ* ſignificatio in *l.* 1. *ff. ad Senatuſc. Macedon.* ubi in hæc

hæc verba conceptum legitur Senatuſconſultum; *cum inter cæteras ſceleris cauſas Macedo, quas illi natura adminiſtrabat:* ubi nihil præter præpoſteros Macedonis mores & pravam indolem intelligi per *naturam* manifeſtum eſt, p. m. Parens Paulus Voet *in comm. ad* §. 3. *inſtit. de juſtit. & jure n.*4. Quid quod nonnullæ quoque gentes ejuſmodi fœdum fuerint deteſtatæ facinus, quo ſui ipſius quis carnifex exiſtit. Apud Thebanos talis nullâ laude dignus erat; ſed crimini ac probro id ei dabatur, & immanis cenſebatur eſſe naturæ. Athenienſes cadaveri defuncto manum velut facinoroſam abſcindebant, eamque à corpore divulſam projiciebant inhumatam, Alexand. ab Alex. *gen. dier, lib.* 5, *c.* 28.

50. Exhibitæ ab A. Gellio *lib.* 16. *c.* 4. jurisjurandi militaris formulæ præter alia inſerta quoque reperiuntur hæc verba; *in exercitu, decemque millia paſſuum propè furtum non facies, dolo male ſolus neque cum pluribus*, cujus & Polybius mentionem facit *lib.* 6. Stipendiis namque ſuis contenti debent eſſe milites, *Lucæ cap.* 3. *verſ.* 14. nec extrinſecus detrimentis provinciales afficere, aut ab iis exigere quicquam, nec cœnaticorum quidem nomine, *l.* 3. *C. de erogat. milit. annon.* Jul. Ferretus *de re milit. pag.* 48. *n.* 25. Quapropter etiam epiſtolâ quâdam Cæſar Aurelianus omnia illa militum furta prohibuiſſe fertur, quibus provincialibus oves, uvas, ſal, pullos, & alia eripere vel extorquere ſolent, Flavius Vopiſc. *in vita Aureliani.* Et Imperatores reſcripſerunt in *l.* 3. *C. de deſertoribus* illos, qui ruptâ ſacramenti fide, relictis caſtris, ad prædationem ſeſe contulerint, judicis ſeveritatem non evaſuros; in tantum, ut, quicunque Principis, ſub quo ſtipendia merent, ſubjectos vi ſpoliaverint,

verint, vel nummos & alia ipſis extorſerint, aut vaſtaverint agros prædæ cauſâ, capite pœnas luere cogantur, *l.* 28. §. 10. *ff. de pœnis*, & digno à quibuſcunque ſubjugari poſſint ſupplicio, *l.* 1. *C. quando liceat unicuique ſine judic. ſe vindic.* In Gallia cautum, ut, ſi plures quam quatuor abſque publicâ commeatûs autoritate in villis vel pagis vel urbibus diverſentur, nec pecuniam, quam pro alimentis expenderint, iis, qui illos hoſpitio exceperint, numerent, liceat populo in eos coactâ hominum turbâ & vi armatâ ſævire, eoſque delere internecioni, impunitate utique propoſitâ, Imbert. *in enchirid. juris Galliæ verb. pœnæ pecuniariæ*, *pag.* 278. Penes nos autem milites, qui civibus vel fœderatis quicquam abſtulerint, non perſoluto juſto ſublatæ rei pretio, corporali pœnâ coërcendi ſunt, *inſtruct. milit. art.* 14. 20. imo & ultimo ſupplicio. *art.* 41. Extantque Placita plurima, concuſſiones militares ſeverè coërcentia, allegata à me in *comment. ad Pand. tit. de concuſſione*, *num. ult.* & præcipuè recentiſſimum 28. *Nov.* 1684. Tiberius militem, quod pavonem ſurripuiſſet, capite punivit, Sueton. *in ejus vita cap.* 60. Univerſam cohortem ob immodicas rapinas interfici Sertorius juſſit, Plutarch. *in ejus vita.* Tamberlanus militi, qui lac mulieri furto abſtulerat, ſtomachum aperiri præcepit, ut ita quicquid hauſtum eſſet, efflueret. Peſcennius Niger illos, qui gallum diripuerant, ſecuri addixit, & ægrè ab exercitu exoratus, ne quis illorum in tota expeditione focum faceret, prohibuit. Unde evenit, ut nunquam ſub eo miles provinciali lignum, oleum, operam extorqueret, Spartian. *in ejus vita.* Alexander autem Severus quoſcunque in alicujus ſolummodo poſſeſſionem deflexiſſe comperiſſet, in eodem loco fuſti-

bus

bus aut virgis cædi mandavit; ne ſcilicet vel rapturi ſpeciem præberent, (uti ei quondam Lyſander reſpondit, qui, cum exceſſiſſet ex agmine, ſe conabatur excuſare, quod ad nullius rei rapinam id egiſſet, Frontin. *de ſtratag. lib.* 4. *cap.* 1. *num.* 9.) quo effecit, ut quâcunque legiones iter facerent, illac non milites, ſed Senatores tranſire viderentur, Æl. Lamprid. *in ejus vita.* Hinc & de Stilicone Claudianus cecinit lib. 1. de laud. Stilic.

—— Juriſque metus ſervator honeſti
Te moderante fuit, nullis ut vinea furtis
Aut ſeges erepta fraudaret meſſe colonum.

Neque dubium, quin ad concuſſiones haſce militares reduci debeat, tanquam inſignitior earum ſpecies, direptio atque ſpoliatio tum rerum tum perſonarum aut vicorum aliarumque univerſitatum, quæ publicâ ſecuritate, legitimè obtentâ, munitæ ſunt; niſi illi, quibus indulta, eâdem abuſi fuerint, *Inſtruct. militaris art.* 15. *& ad eam Feltman in notis.*

51. Ut autem rapinâ à militibus factâ facilius ad illorum querelas, quibus per omne nefas ablatæ res, furti dignoſci poſſet improbus autor, & pro meritis ultioni ſubdi, nec ſub velamine ſpolii ex hoſtico petiti crimen hoc maneret impunitum, prohibitum legimus *Inſtruct. milit. art.* 63. ne quis illud, quod privatis nactus eſt excurſionibus, alibi quam in caſtris aut præſidiis divendat, profeſſis prius rebus captis apud Præſidii Præfectum vel Gubernatorem intra tres horas à reditu computandas, ut debito poſſint annotari modo, ac inveniri, ſi quis ex ſubjectis vel fœderatis illas ſibi ereptas afferat; mortis ſupplicio in alibi diſtrahentes propoſito, *art.* 64. Quod & de jure Romano in militibus obtinuit, uti id evincunt poſteriora ſacramenti paulo ante alle-

allegati hunc in modum concepta verba; *extra haſtam, hoſtile, ligna, pabulum, utrem, follem, jaculum, ſi quid ibi inveneris ſuſtulerisve, quod pluris nummi argentei erit, uti tu ad C. Lælium C. filium COS. L. ve, Cornelium P. filium COS. ſive ad quem eorum juſſerit, proferas: aut profitebere in triduo proximo quicquid inveneris ſuſtulerisve dolo malo: aut domino ſuo, cujum id cenſebis eſſe, reddes.* Si quis autem eo proceſſiſſet inſaniæ, ut ſceleratâ factione unà cum Reipublicæ hoſtibus prædam egiſſet, aut deprædationis in ſubjectos dediſſet facultatem, vel alias rapta cum iis diviſiſſet ſpolia, eum vivum amburendum Conſtantinus reſcripſit, *l.* 1. *Cod. Theod. de re milit.* Martin. Laudenb. *tract. de caſtellan. qu.* 21.

52. Cæterum iis, qui ſubjectorum opes ſine cauſa diripiunt, ſimillimos merito quis dixerit piratas, ſocietatis civilis hoſtes ſceleſtiſſimos & nefarios, qui teſte Floro lib. 3. cap. 6. *ſublatis commerciis rumpunt fœdus generis humani*, & ad inſtar Agathoclis (de quo Juſtin. *lib.* 22. *c.* 1.) in patriam, in municipes prædæ causâ iniqui ſunt, ac ferarum ritu occidunt illos, quos nunquam oderunt, obvias quorumcunque carinas intercipiunt, quicquid ipſis arridet dominis invitis inde tollunt, & furtivis omnes terrent expeditionibus. In hos acriter Peckius invehitur *de re nauticâ in auth. navigia C. de furtis cum notis Vinnii pag. mihi* 370. eoſque ultimo cenſet afficiendos ſupplicio Baldus, ad *d. auth. navigia.* Et generali gentium conſuetudine id obtinere, publicatis omnibus ipſorum bonis, ſtatuit poſt Peckium Johan. Loccenius *de jure maritimo lib.* 2. *cap.* 3. *n.* 8. Cui convenienter Ordines etiam generales placito anni 1611. 25. Auguſti, eos omnium bonorum publicatione mulctandos, & corporali plecten-

plectendos pœnâ ſanciverunt. Penes Romanos ſecuri plerunque percutiebantur; *ecquem audiviſti*, inquit Cicero, *in Sicilia anteà captum archipiratam, qui non ſecuri percuſſus ſit? unum cedo autorem tui facti, unius profer exemplum*, 7. act. in Verrem. Cæſar tamen illos crucibus affixit, Vellejus Patercul. *lib.* 2. *cap.* 42. Nec ipſi tantum piratæ, ſed & receptatores illorum mortis pœnâ coërcendi ſunt, arg. *l.* 3. §. 3. *ff. de incend. ruin. naufr.* cum ſine iis improbi piratæ diu latêre nequeant, *l.* 1. *ff. de receptatoribus.* Loccenius *de jure marit. lib.* 2. *c.* 3. *n.* 8. quem *d. c.* 3. de piratis latius tractantem vide.

53. Quod ſi miles à Confœderatorum quidem opibus abſtinuerit; ſed in caſtris inter commilitones ſuos fuerit in furto deprehenſus, eum fuſte necatum, olim ſcribit Polybius *lib.* 6. Quandoque furibus ejuſmodi dextra præciſa, vel etiam ignominiæ causâ ſanguis in principiis miſſus, Frontin. *de ſtratag. lib.* 4. *cap.* 1. *n.* 15. quamvis juxta Gellium *noct. attic. lib.* 10. *c.* 8. olim hæc ſanguinis miſſio non tam pœnæ locum obtinuerit, quam quidem pro medicina fuerit adhibita in ſtupentis animi militibus à naturali habitu declinantis. Noſtris vero moribus, quiſquis commilitonis eſculenta & potulenta dolo ſurripuerit, armis detractis extra cohortem per trimeſtre ſpatium relegatur, aut pro delicti circumſtantiis corporali caſtigatur coërcitione, *Inſtruct. milit. art.* 74. Et ſi in navi hæc fiant per eos qui militiæ navali operam navant, pœna eſt redditio quadrupli cum alia arbitraria coërcitione; pro repetito ſcelere centum ictuum ingeſtio; ſuſpendium pro tertia vice, ARTIKEL-BRIEF RAKENDE DEN OORLOCH TER ZEE, 1. *Dec.* 1690. *art.* 53. Militem certe virgis cæſum fuiſſe conſtat in obſidione

dione Grollæ, 8. Septembris 1627. quod ibi pallium & alia commilitonibus ſurripuiſſet, Anton. van Dalen Krygsraedts besoignes tit. van fameuse dieven *pag.* 94. Atſi non in ipſis caſtris, ſed dum ad exercitum vehuntur, eſculenta & potulenta aliaque ad expeditionem requiſita diripuerit aut dejecerit, laqueo pœnas dabit, *Inſtruct. milit. art.* 19. Cum enim prudentis ſit Imperatoris providere, ut omnium in exercitu reperiatur rerum affluentia, ne neceſſariarum deſtitutus adminiculo laboret inopiâ, & tandem penuriâ ac fame extabeſcat; jure mortis in hos eſt ſtatuta pœna, qui calamitatum ejuſmodi ſcelere ſuo poſſent eſſe cauſæ, dum mercatores imminentibus direptionum territi periculis, cum caſtris commercium habere recuſant. Surrepti autem in caſtris pulveris tormentarii quiſquis convictus fuerit, capite pœnas luet; niſi fortè primâ vice delinquenti remittendum eſſe mortis ſupplicium, aliâ leviori pœnâ decretâ, judices æquum crediderint, ob quaſdam delictum attenuantes circumſtantias, Ant. van Dalen Krygsraedts besoignes tit. van Ammonitien *pag.* 19. 20. Sanè eos, qui ex navi bellica efferunt, occultant, vendunt pulverem pyrium, globos, ſimilemque apparatum bellicum, laqueo puniendos eſſe ſancitum, in den Artikel-brief van den Oorloch ter Zee, 1. *Decemb.* 1690. *art.* 15.

45. Dixi præcedenti capite, ante omnia curandum eſſe, ne differantur in caſtris ſtipendiorum ſolutiones, & evincere temporum exactorum exempla, frequentes exercituum Imperatoribus inde proveniſſe ſeditiones militares: ſi igitur inopinato caſu deficere contigerit æs militare, non ideo ſtatim à belli muneribus liberantur milites, neque liberum iis erit ſeditioſos inter commilitones ſpargere

gere ſermones, niſi qui ſat diu vixiſſe ſeſe arbitrentur; uſque adeo, ut quicunque in procinctu ſtantes, cum tempus & occaſio virtutem deſiderat, ſtipendiorum dilatorum auſi fuerint exigere ſolutionem, non ſecus ac ſi tumultûs eſſent autores, mortis mulctandi ſint ſupplicio, *Inſtruct. milit. art.* 36. 37. Julius Ferretus *de jure militari pag.* 49. *num.* 35. At ſi ex adverſo in promptu quidem ſit pecunia, verum non integrum inde Centurio perſolvat militibus æs militare, militiæ gradu pellendus eſt, *Inſtruct. milit. art.* 76. Jure Romano præter dignitatis amiſſionem, ejus quod percepiſſet quadruplum rependere publico cogebatur, *l. fin.* §. 9. *C. de offic. Præfect. Prætor. Afric.* Magis enim inquit Imperator, debent *Duces & Tribuni ſupra deputata ſibi emolumenta ſecundùm labores ſuos de noſtra largitate remunerationem ſperare, & non de commeatu militum vel de eorum ſtipendiis ſibi lucrum acquirere.* Et duos Allobrogum fratres Roſcillum & Ægum, cum equitum fraudarent ſtipendia, & falſum deferrent eorum numerum & æs interverterent, Cæſar animadverſione dilatâ ſecretò interim caſtigavit, atque ut ex ſua amicitia omnia ſperarent, admonuit, Cæſar. *lib.* 4. *de bell. civil. cap.* 59. 60. Cum autem eveniat quandoque, ut nonnulli Præfecti, quibus eſt lucri bonus odor ex re qualibet, debita quidem ſingulis exſolvant ſtipendia; interim tamen militum ſuorum numerum mentiantur, & non integras ſed mutilatas ducant cohortes, neceſſe fuit hoc malum crebris impedire luſtrationibus; eumque in finem lecti luſtrationis Commiſſarii vulgo dicti, quibus luſtrationem exigentibus parere tenentur cohortium centuriones; adeo ut quicunque milites in armis exhibere tergiverſatus fuerit, ad illorum petitionem militari privetur

vetur cingulo, *Inſtruct. milit. art.* 68. Perez. *tit. Cod. de erogat. milit. annonæ n.* 13. 14. & *ſeqq.* Utque ſupplicii gravitate quilibet abſterrerentur, ne luſtrationis tempore exiguo conducti pretio pro juſtis ac legitimis militibus obtrudi ſeſe paterentur, cautum eſt, ut quicunque convictus fuerit fictitius eſſe miles, ei laqueo gula frangatur, Instructie der Commissarissen van de Monsteringe *art.* 7. Et quo magis omnis tolleretur fraudis occaſio, prohibitum, ne commodatis in luſtratione ſe quis exhiberet armis vel equis, neve miles aliis ad id agendum arma commodaret, aut alieno cognomine vocari ſe pateretur ſubmiſſionis ignominioſæ pœnâ, *Inſtruct. milit. art.* 69. ibique Pappus *in comment.* Quidam autem neque numeros mentiuntur, neque quicquam de militum detrahunt ſtipendiis, eoque cenſent ſe legum pœnis exemtos, ac proinde ad legendum mittendumve militem æs impune percipere poſſe: verùm maximè falluntur; nemini quippe dubium eſt, illos eo ipſo in legem Juliam repetundarum incidere, *l.* 6. *ff. de lege Jul. repetund.* adeoque ad quadruplum illius quod acceperint reſtituendum cogendos eſſe, *l.* 1. *Cod. ad leg. Jul. repetund.* Quoſlibet enim, præſertim verò Duces, in militia Reipublicæ navantes operam, à ſordibus abſtinere fas eſt; ac ex adverſo illud omni modo curare, quo maximè militum augeatur indies caſtrenſe peculium.

55. Signorum ac Vexillorum ideo fuit introductus uſus, ut in prælio diſperſi milites facile poſſent priſtinam in acie recuperare ſtationem: ſic enim Vegetius de re milit. lib. 2. cap. 13. *Antiqui*, inquit, *quia ſciebant, in acie commiſſo bello celeriter ordines acieſque turbari atque confundi; ne hoc poſſet accidere, cohortes in centurias diviſerunt*, & *ſingu-*

ſingulis centuriis ſingula Vexilla conſtituerunt: ita ut ex qua cohorte, vel quota eſſet centuria, in illo Vexillo literis eſſet adſcriptum: quod intuentes milites in quantovis tumultu à contubernalibus ſuis aberrare non poſſent. Ideoque qui in prœliis Signa vel Vexilla non defenderit, aut quandocunque deſeruerit, antequam in tutum ſint delata locum, in grave crimen incidit; cum confuſionis ex amiſſo Vexillo natæ cauſa ſint: unde & corporali ſupplicio crimen expiare cogitur, *Inſtruct. milit. art.* 49. Eumque deſertori comparat Pereſius *tit. Cod. de deſertor. n.* 7. Memoriæ prodidit Curtius *lib.* 8. *cap.* 14. ſub Poro militantes Indos ante pedeſtrem aciem Herculis ſimulacrum ferre ſolitos, & ultimum in illos ſancitum fuiſſe ſupplicium, qui illud ex acie non retuliſſent. Penes Romanos autem nulla certa legibus in illos fuit ſtatuta pœna, qui Vexilla paſſi fuiſſent ab hoſtibus intercipi: refert tamen Alexander ab Alexandro *Genial. dier. lib.* 2. *cap.* 13. in cohortes, quæ Signa fœdè amiſiſſent, aliquando majorum more capitali ſupplicio animadverſum fuiſſe, ſæpius ignominioſa & indigna militibus onera ipſis impoſita. Quandoque ſola perditi Signi infamia ſufficiens pœna viſa fuit; unde apud Cæſarem *lib.* 4. *de bello Gall. cap.* 25. *cum periculum eſſet, ab hoſtibus aquilam captum iri, Romani milites dicuntur cohortati inter ſe, ne tantum dedecus admitteretur.* Et ſummis uſque viribus Romanas contendiſſe legimus acies, ne legionum aquilis hoſtes potirentur, ſæpiuſque Duces & Imperatores, ubi fluctuare ac fugam meditari cernerent exercitum, inter hoſtiles copias aut inimica caſtra contorſiſſe Signa, ut excuſsâ ſegnitie milites acrius arma moverent in adverſarios, & ad ea recuperanda fortius dimicarent: Signa namque ſacra Ro-

Romani habuerunt, ſic ut aliquam gignerent in animis militum venerationem; quamobrem etiam firmius illa aſſervare, fortius recuperare conſueverant. Eumque in finem Vibius Acceus cohortis Præfectus Vexillum trans Punicum vallum projecit. Irrupit in hoſtilia caſtra convulſum Signum dextrâ tenens Pedanius Centurio, ut qui ſalvum illud vellent, ipſum ſequerentur, Valer. Max. *lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 20. A Servio Tullio, Furio Agrippâ, Tito Quintio Capitolino, & aliis idem perpetratum fuiſſe tradit Frontinus *ſtratag. lib.* 2. *cap.* 8. *n.* 1. 2. 3. *& ſeqq.* Neque ullum dubium eſt, quin & hodie ſummo dedecori vertatur, ſi ab hoſtibus Signa fuerint in acie capta; uſque adeò, ut uſu ferè militari facta fuerit inveterata conſuetudo, Signiferos, ſi ſpes nulla Vexilli defendendi ſuperſit, divulſo ab haſta Velo ſemet ei involvere, atque ita vel fugâ ſalvum reducere, vel in ejus defenſione glorioſâ perire morte.

56. Corporalis inſuper in illos eſt decreta coërcitio, qui alteri, quam cui fas erat, teſſeram indicaverint, aut aliam exhibuerint, quam quæ ab Imperante data erat, *Inſtruct. milit. art.* 29. Eſt enim adinventus teſſerarum uſus ad diſcernendos ab amicis inimicos; unde fit, ut indebitâ teſſeræ traditione facillimè confuſio producatur in caſtris, & adverſariis ad res feliciter gerendas commoda præbeatur occaſio, licet forte primus teſſeram indebitè tradens illud non egerit intentione ſiniſtrâ; cum in exercitu vix unquam deſint perfidi ac ſacramenti immemores, quibus intercedit cum hoſte commercium, quique omnia adverſariis Ducum ac commilitonum deferunt conſilia & res gerendas. Quapropter & Auguſtum Thallo, quod epiſtolam ipſius alteri, licet non hoſti, prodidiſſet, crura effre-

effregiſſe, teſtis eſt Suetonius *in Auguſto cap.* 17. ſolummodo quod perſuaſum haberet, hoc pacto literas ſuas in malevolorum, inde in hoſtium potuiſſe poteſtatem pervenire.

57. Cum autem in inſtructione militari ſæpius corporalis pœnæ mentio fiat, Belgicè LYF-STRAFFE, meritò quiſpiam quæſiverit, num per eam ultimum deſignetur ſupplicium, an vero alia quæ pœna corporis afflictiva, ad cujus irrogationem mors naturalis non ſubſequitur? & verius eſt ac æquitati magis conveniens, per pœnas corporales ejuſmodi deſignari coërcitiones militares, quibus corpus quidem læditur, non tamen perimitur aut vitâ ſpoliatur: cum pœnæ non extendendæ ſint ſed mitigandæ; in tantum, ut ſi in jure ſimpliciter mortis fiat mentio, eam de ſola morte civili benignâ interpretatione intelligendam voluerint legum Interpretes, arg. *l.* 11. *& pen. ff. de pœnis.* Auguſt. Barboſa *axiom. Juris uſu frequent.* 181. *n.* 11. *ibique allegati Doctores.* Huic accedit, quod in articulis militaribus atrociora militum delicta coërcentibus non pœna corporalis, ſed ultimum diſertis verbis conſtituatur ſupplicium, Belgicè AEN 'T LEVEN MET DE DOODT GESTRAFT WORDEN: in levioribus verò corporalis plerunque coërcitionis ſit adjecta pœna. Inſuper illud evinci videtur ex *Inſtruct. milit. art.* 9. 51. & aliis, ubi reus corporali & lethali ſupplicio dicitur plectendus, AEN LYF EN LEVEN. Unde liquet aliam eſſe corporalem ſimpliciter ita dictam, aliam mortis pœnam. Eamque diſtinctionem approbant Pappus *in comment. ad Inſtruct. milit. art.* 12. *in fine.* Sande *deciſ. Friſic. lib.* 5. *tit.* 9. *defin.* 16. Bort VAN APPEL IN CRIMINELE SAKEN *cap.* 8. *n.* 27. Negari tamen nequit, quin ſub pœna corporali ex vi vocis ultimum quoque contineri poſſet ſupplicium.

58. Scutum reliquiſſe, præcipuum quondam apud Germanos, teſte Tacito, flagitium fuit, Tacit. *de morib. German. cap.* 6. Et arma turpiter ac non ſine ſcelere amitti Romanorum fuit uſque ſententia, *l.* 2. §. 1. *ff. de captivis & poſtlimin.* Quapropter Catonis Cenſorii Filius in medias ruebat hoſtium copias, ut collapſum è manu ſudore lubricâ gladium repeteret, Plutarch. *in vita Caton. Cenſor.* Sic poſt interruptum à Romanis pontem Horatius Cocles in Tiberim proſiliens omnia ſecum arma retinuit, Livius *lib.* 2. Et Turnum è Trojanorum caſtris præcipiti ſeſe ſaltu cum omnibus armis in fluvium dediſſe, Poëta narrat *lib.* 9. *Æneid.* Amiſſi quoque clypei metuens infamiam Epaminundas jam morti vicinus id unum à circumſtantibus anxiè quæſivit, num cadenti ſibi ſcutum ademiſſet hoſtis, illudque ut ſervatum audivit & allatum, velut laborum gloriæque ſocium exoſculatus eſt, Juſtin. *lib.* 6. *cap.* 8. Ammian. Marcellin. *lib.* 25. Quin & Chabrias Athenienſis perire maluit, quam ut abjectis armis natando ab Athenienſium navigiis exciperetur, Æmil. Probus *in vita Chabriæ.* Turpe ſcilicet putabant Imperatores fortiſſimi, quemquam armis ſuis ſupereſſe. Unde hodiernis quoque militibus in more poſitum eſſe docet experientia, ut hoſtium viribus ad tradenda mœnia vel caſtra compulſi, id tamen ſtipulentur, ut armis integris inde liceat recedere, haud digna viris imperari cenſentes, quod armis ſpoliati ſemet adverſariorum fidei committerent. Eorum autem, qui integra in bello amiſiſſent aut alienaſſent arma vel potiorem illorum partem, veluti ſcutum, galeam, loricam, gladium, pœna erat eadem de jure Romano, quæ deſertorum, *l.* 14. §. 1. *ff. de re militar.* eoſque ſæpius ultimo punitos ſupplicio, Alexander ab Alexandro

dro autor eſt, *genial. dier. lib.* 2. *cap.* 13. Appius Claudius acriter in fugitivum ac proditorem invectus exercitum, ubi Signa, ubi arma eſſent ſingulos rogitans, inermes milites, Signo amiſſo Signiferos, virgis cæſos, ſecuri percuſſit, Livius *lib.* 2. Ex humanitate tamen & juris rigidi temperamento, remiſsâ pœnâ capitali, militiæ mutationem in eos decernendam eſſe cenſuit Juriſconſultus *in l.* 3. §. 13. *ff. de re milit.* Atque ita equitum Præfectum, quod hoſtibus circumventus arma tradidiſſet, non ultore ferro præſecutus eſt Conſul Calpurnius Piſo, ſed togâ laciniis abſciſſis amictum, diſcinctâque tunicâ, & nudis pedibus eum per omne militiæ tempus, ad principia adeſſe juſſit, Valer. Maxim. *lib.* 2. *cap.* 7. *n.* 9. Eamque Romanorum æquitatem hoc in negotio probantes legum noſtrarum militarium conditores ſanciverunt, ut quiſquis arma ſua fregerit, amiſerit, alienaverit, per ſemeſtre ſpatium militiâ rejiciatur, *Inſtruct. milit. artic.* 71. Si in aleam ea impendendo perdiderit, ignominiâ mittatur, *Inſtruct. milit. art.* 73. Si pignori dederit, eandem, quam alienus, ſubeat coërcitionem, *d. art.* 71. & Artikel-brief rakende den Oorlog ter Zee 1. *Dec.* 1690. *art.* 60. Et ne creditorum aſtutiâ, precibus, & artibus ſiniſtris rudes militum ſeducerentur animi; prohibitum pariter, ne quiſpiam arma pignori accipiat, Menoch. *arbitrar. Judic. lib.* 2. *caſu* 394. *n.* 74. Qui ſecus fecerit duplo pretii pignoris mulctetur, *Inſtruct. art.* 72. Quod ſi quis non ſua quidem alienaverit, ſed ex adverſo commilitonis ſurripuerit arma, gradu militiæ pellendus eſt, *l.* 13. §. 14. *ff. de re milit.* Hodie per trimeſtre tempus numeris eximitur, ac quandoque pro re natâ corporali plectitur ſupplicio, *Inſtruct. milit. art.* 74. Neque illud iniquum; cum

arma ſint veluti pars corporis, & uti Cicero *lib. 2. tuſcul. quæſt.* inquit, *membra militis ac vitæ cuſtodes, ſine quibus nullus ultra nomen miles eſt:* ſic ut alterius arma intervertentes non commilitoni tantum, ſed & Reipublicæ grande nonnunquam inferant incommodum. Unde & Romanos uſque adeo de militum armis ſollicitos quondam fuiſſe legimus, ut parum nitidis ſolummodo aut rubigine obductis indutos armis ilico notarent, Alexander ab Alex. *genial. dier. lib. 2. cap.* 13. exiſtimantes procul dubio, parum illos armis uti vel uſuros occaſione datâ ad præliandum minus idoneis, & ſegnes admodum in acie fore bellatores: *quis enim*, inquit Vegetius, *militem credat bellicoſum, cujus diſſimulatione ſiti ac rubigine arma fœdantur.*

59. Præter hos autem qui arma alienant, Legiſlatores noſtri degeneres etiam cenſuerunt eſſe milites, qui ad excubias agendas non omnibus armis inſtructi conveniſſent, & ejuſmodi delicti reos primâ vice per triduum carceri mancipandos, ſanciverunt. Cum autem crimen aggravet & pœnam faciat augeri delinquentis contumacia, *l.* 4. *ff. de pœnis l. 2. ff. de re judicatâ.* Etiam illi qui tertium in idem convicti fuerint incidiſſe delictum, militari more per commilitones armis perimuntur, id eſt ſclopetis vel haſtis, *Inſtruct. milit. art.* 58. Atque hæc ita conſtituta ſunt, tum ut ad arcendos repentinos adverſariorum impetus milites eſſent perpetuò parati; tum ut armis aſſueſcerent, ne, ubi cum hoſte manus conſerendæ ſunt, Davidis inſtar, qui nunquam in armis ſemet exercuerat, nimio ſuccumberent munimentorum ponderi, & gravis iis videretur lorica, gravis galea, eoque ſummum immineret vitæ diſcrimen: *Illi enim*, inquit Vegetius lib. 1. de re milit. cap. 20. *qui laborem in portandis*

vete-

veteribus munimentis armorum ferre non poſſunt, detectis corporibus & vulnera ſuſtinere coguntur & mortes, & quod eſt gravius & turpius, aut capi, aut certe fugâ Rempublicam prodere: ſic dum exercitium laboremque declinant, cum maximo dedecore trucidantur ut pecudes. Multos quidem hodie reperies, qui prælio conflicturi penitus ferrea corporis tegumenta reſpuunt, non laboris, uti ferunt, evitandi causâ; ſed quod ſibi laudi fore ducant, ſi æque, ac omnibus à capite ad calcem armis muniti, inermes prorſus ſoloque cincti gladio in confertiſſimas audeant irrumpere turmas hoſtium, & denſis armatorum ſe mucronibus objicere, ac ingenti animo caſtra oppugnare, muros inimicos ſuperare, cæteraque fortitudinis exhibere ſpecimina. At hos à vera virtute militari longe aberraſſe cenſeo, ac temerarios potius quam fortes appellendos, dum adeo incomparabiles videri cupiunt periculorum & vitæ contemtores, & inani nominis ac famæ commoti deſiderio vanam captant hoc pacto gloriolam Reipublicæ parum profuturam. Verum quidem eſt, cum itur in prælium, non vulnera, non mortem timendam: ſed nec temerè ſubeunda corporis vitæque diſcrimina, quæ facili negotio ſine patriæ detrimento quis evitare poſſet: antiquatus ille Ducum ac militum pro exercitu ſeſe devoventium furor; non hodie Deciis indigemus in exercitu, non Codris; Siciniis Dentatis res maximè geritur, quem Valerius *lib.* 3. *cap.* 2. & Gellius *lib.* 2. *noct. Attic. cap.* 11. centies & vicies in aciem deſcendiſſe, quadraginta quinque pectore excepiſſe vulnera commemorant. Non in hoſtes tendimus, ut fortia facta peragentes occumbamus; ſed ut ſtrenuè rem gerentes unà cum vita reportemus ab hoſte victoriam & optima ſpolia: *majoris enim eſſe diſci-*

plinæ ſe ab hoſte tueri & præſtare incolumen, quam cum ſua pernicie hoſtem perdere ſummi ſemper Duces putaverunt, inquit Alexander ab Alexandr. *genial. dier. lib. 2. cap.* 13. Et certè, plus utilitatis ac commodi Reſpublica percipit in conflictibus ab armatis, quam inermibus, magis licet animoſis; ac ex adverſo damnum plerunque ſent't ex vana gloriæ cupidine: Polybio namque teſte hiſtor. lib. 3. *temeritas, ferocia, & præceps iracundia, nec non inanis gloriæ ſtudium, & faſtus hoſtibus facilem victoriam præbent, amicis ut plurimum perniciem.* Proinde, ſi publica privatis ſint anteponenda bonis (quod neminem ſanæ mentis negaturum confido) & patriæ ſalus propriæ ſit præferenda gloriæ, conſequens eſt, quoſvis in expeditione milites, etiamſi ſine munimentis confligere duxerint magis eſſe glorioſum, plenis nihilominus armis cinctos eſſe debere, & ferri præſidio junctâ audaciâ ſecuritatem ſibi quærere, pariterque adverſariis inferre perniciem, cum boni publici rationem illud exigere manifeſtum ſit.

60. Accidit aliquando, dum inter populos belli graſſatur incendium, ut milites, ubi hoſtem unum atque alterum in poteſtatem redegerint, neque tamen operæ pretium cenſeant propter exiguum redemtionis pretium ad caſtra ac præfectum captivos deducere, crudeliter & abſque ulla commiſeratione deditos abominando facinore vitâ ſpolient contra recepta militiæ jura, Julius Ferretus *de re milit. pag.* 130. *num.* 65. quem belluinum agendi modum cum hodierna inter moratiores bella non ferant, eique repugnet in univerſum Chriſtiana charitas, & proximo debita manſuetudo, ſtatutum eſt, ut quiſquis ejuſmodi flagitium admiſerit, militiâ rejectus extra fœderatas relegetur Provincias, *Inſtruct.*

ſtruct. milit. art. 61. Quin imo pœnæ capitali miles addictus fuit 10. Julii anno 1638. quod duos inimicos, quos captivos eſſe non ignorabat, ita vulneraſſet, ut haud diu poſt uterque ex vulnere periret, Ant. van Dalen KRYGSRAEDTS BESOIGNES TIT. VAN RUMOER, *pag.* 288, 289. Idem in illos ferè ſancitum eſt ſupplicium, qui, poſtquam lutrum belli jure debitum captivus perſolvit, eum ſine caſtrorum Præpoſiti veniâ dimiſerint, *d. artic.* 61. Fieri enim poſſet, ut ejuſmodi captivi vel transfugæ eſſent, vel atrocioris alterius criminis rei, quos condignis ſubjugari ſuppliciis Reipublicæ intereſt, & ad Præpoſiti pertinet officium, *l.* 12, §. 2, *ff. de re milit.*

61. Reverſi autem ad ſuos captivi penes Romanos, aliquam ſufferre cogebantur captivitatis pœnam: præterquam enim, quod naturalem amiſiſſent in bello libertatem, rem inæſtimabilem, §. *fin. inſtit. qui & ex quibus cauſis manumitt. non poſſ. l.* 106, 176. §. 1, *ff. de regul. jur*, quam, ut Saluſtius ait *in bello Catilin. cap.* 33, nemo bonus niſi cum anima ſimul amittit, etiam temporis illius, quo apud hoſtes fuiſſent, exigere ſtipendia non poterant, *l.* 1. *Cod. de re milit.* iiſque & arma mutabantur, & ordo militandi, Alexand. ab Alex. *genial. dier. lib.* 2. *cap.* 13.

62. Quæri autem poſſet, utrum reverſo temporis illius quod in captivitate tranſegit, deneganda ſint ſtipendia, ſi quidem probare potuerit, abſque ulla ſua culpa ſe in adverſariorum perveniſſe poteſtatem? idque ex æquitate negandum puto, arg. *l.* 3. §. 12, *l.* 5. §. 5. 6. 7. *ff. de re milit.* ubi Juriſconſulti ſtatuunt, inſpectis ac perpenſis vitæ præcedentis actionibus veniam eſſe capto concedendam; ſic ut præmia & emeritum accipere non prohibeatur.

hibeatur. Aliud quidem eſſe fateor emerita, aliud ſtipendia, verum cum eadem militet utrobique ratio, nullo jure quod in uno caſu obtinet, ab alio removeri poteſt. His adde, quod omnia tentaverit, quæ, quantum in ipſo eſt, aut quantum permittit humana ſolertia, potuerunt à ſtrenuo perpetrari milite; ut proinde conditio illa, ſub qua promiſſum fuit ſtipendium, ſcilicet ſi militaverit, adimpleta cenſeri debeat, cum per eum non ſteterit amplius illius implementum, ſed vis fortior mortalium ſuperans potentiam eum impediverit, *argum. l.* 39. *ff. de reg. jur. l.* 8. §. 7. *ff. de condition, inſtitut. &* *l.* 4. §. 5. *ff. de ſtatu liberis.* Notiſſima inſuper illa juris regula, quæ dictitat, afflicto non eſſe addendam afflictionem, nec triſtia mala malis, nec pœnis pœnas eſſe cumulandas: adeoque nec hoſtium miſerâ captivitate detentus eo privandus erit emolumento, quod percepiſſet, ſi non ei ſervitutis flebilis ſuperveniſſet calamitas. Et quamvis ex deſertione reſtitutus non aliter medii temporis, quod in deſertione tranſegit, ſtipendia & donativa accipiat, quam ſi principalis liberalitas hoc ei ſpecialiter indulſerit, *l.* 10. §. 1. *ff. de re milit.* non tamen illud obſtat, cum longe alia ſit in captivo ratio: neque enim ſine proprio dolo ac culpa quiſpiam in deſertionis incidit delictum; at facile quiſque citra culpam ſuam in hoſtium poteſt pervenire poteſtatem, miles præſertim gregarius; quippe Ducis imperiis obtemperare coactus, ipſius imperitiâ vel temeritate nonnunquam eo deduci poteſt, unde nulla datur remeandi potentia. Atque ideo moribus menſtrua militum captivorum non detrahuntur ſtipendia; ſed eorum non ſecus ac præſentium in luſtratione nomina citantur, Instruct. van de Commissar. van de Monsteringe, *art.* 14.

14. Groenwegen *de legib. abrogat. ad l.* 1. *Cod. de re milit.* Martin. Laudenſis *tract. de milite quæſt.*4. Pari ratione nec vulneratis nec morbo ſontico laborantibus ſtipendia ſunt detrahenda: militiæ enim munera obire etiam intelliguntur hi, quos curamus ægros, qui militare cupientes adverſâ impediuntur valetudine, arg. *l.* 4. §. 5. *ff. de ſtatu liberis.* Nec ad id, ut iis ſtipendia numerentur, neceſſe eſt illos caſtra ſequi, niſi forte morbi levioris detineantur incommodo; quo caſu, ne longinquis nimium delaſſarentur itineribus, iis à Præfecto venia concedi ſolet inter impedimenta ſe recipiendi: quamvis olim penes Romanos ſolummodo ignominiæ causâ, propter ignaviam aut alia delicta leviora militibus fuerit impoſitum, ut inter impedimenta tanquam indignum & muliebre ac militiæ parum idoneum agmen caſtra ſequerentur. Docet id Ammianus Marcellin. lib. 25. *ademtis*, inquit, *ſignis, haſtiſque diffractis, omnes eos, qui fugiſſe arguebantur, inter impedimenta, & ſarcinas & captivos agere iter impoſuit.*

63. Ne tamen ſub adverſæ valetudinis prætextu quilibet ignaviâ fœdâ laborantes inter impedimenta commorarentur, & ordines ac ſigna desererent, cautum eſt, ut tanquam militum indigni conſortio militiâ pellantur, non dato ære militari miſſioniſve literis, quicunque inter ſarcinas auſi fuerint inſcio Præpoſito iter inſtituere, *Inſtruct. milit, art.* 25. Quod ſi non pigritiâ, ſed hoſtium metu languorem ſimulaſſent, pro proditoribus olim habebantur, *l.* 6. §. 5. *ff. de re milit.* Qui vero delectu propter bellum indicto inhabiles militiæ ſe reddexiſſent, reſectis digitorum articulis, hos Conſtantinus Imperator civitatum curiis addixit, *l.* 1. *Cod. Theod. de filiis milit. l.* 4. 5. *Cod. Theod. de Tyronibus.* Solebant

lebant enim quandoque torpentes metu Romani ſibi pollicem præſcindere, ne gladio dirigendo ac portandis armis eſſent idonei; liquet id ex paulo ante laudato Ammiano Marcellin. lib. 15. ubi de Gallorum inſtitutis verba faciens, ait: *nec eorum aliquando quiſpiam, ut in Italiâ, munus Martium pertimeſcens, pollicem ſibi præſcidit.* De his plura vide apud Jacob. Gothofred. *in comment. ad d. l.* 4. 5. *Cod. Theod. de Tyron.* Patrem autem, qui filium debilitaſſet, ut eum militiæ muneribus ſubduceret, Divi Trajani præceptum deportavit, *l.* 4. §. 12. *ff. de re milit.* Et Auguſtus equitem Romanum, quod duobus filiis adoleſcentibus detrectandi ſacramenti causâ pollices amputaſſet, ipſum bonaque haſtæ ſubjecit, Sueton. *in vita Auguſti cap.* 24. Quin imo quicunque caſtris idoneos juvenes inertis obſequii ſtudio putaſſent occultandos ſub lixarum conditione vel propinquitate ſimulatâ, ex Valentiniani & Valentis conſtitutione ad inferiorem militiæ devolvebantur ordinem, *l.* 10. *Cod. Theodoſ. de re milit.* Atque hæc quidem in Romana viguerunt Republicâ, ubi inviti adſcribebantur in militiam cives; at in noſtris Provinciis, ubi voluntarii omnes militiæ nomen dare conſueverunt, ſupervacanea foret hæc metus ergò debilitatio; ut proinde etiam harum conſtitutionum antiquatus ſit uſus.

64. Denique duas aut plures eodem tempore ſimul gerere militias prohibitum, & de jure quidem Romano tales auri librarum decem diſpendio mulctati, *l.* 5. *Cod. qui milit. poſſunt &c.* hodie vero corporali coërcentur ſupplicio, *Inſtruct. milit. art.* 70. Eo enim ipſo, quo plus quam ordinis unius eodem tempore nomen affectant, ærarii publici nummos ſuffurantur, dum ad id obſtricti ſunt, ut militum duorum partes ſuſtineant, adeoque ſimul

in

In duobus reperiantur eodem momento locis, quod per rerum naturam poſſibile non eſſe vulgare ſtatuit Philoſophorum dogma.

Atque ita paucis pleraque militaria delineavi delicta, pœnaſque recenſui à Legiſlatoribus ſancitas; à Ducibus eximiis pro criminis qualitate decretas; quas tamen accuratâ omnium facti circumſtantiarum inſtitutâ conſideratione, mitigari nonnunquam judicum militarium arbitrio æquum eſt, præſertim cum duriora ut plurimum ac rigidiora milites, ut ante dixi, ſupplicia maneant.

CAPUT V.

De præmiis militum, & prædâ bellicâ.

1. *Præmiis remuneranda militum fortitudo.*
2. *Milites, qui in acie ceciderunt, perpetuo per gloriam vivunt, eorumque liberi publicè alendi.*
3. *De honoribus exercitûs Imperatori tributis, ſupplicatione, triumpho & ovatione.*
4. *Militum minorum præmia enumerantur.*
5. *Præda maximè milites gregarios ad fortitudinem excitat.*
6. *Jure gentium præda primo cedit occupanti.*
7. *Quid juris obtinuerit apud Hebræos in immobilibus ab hoſte captis?*
8. *Quid juris in mobilibus?*
9. *Quid circa res captas tam mobiles quam immobiles Græci obſervaverint?*
10. *Quid jus Romanum circa immobilia capta conſtituerit? & de poſtliminio.*
11. *Quando ager cenſeatur captus ab hoſtibus.*
12. *Mobilia per deditionem acquiſita à Romanis in Fiſcum redacta.*

13. *Ali-*

13. *Aliquando poſtquam capta eſſent, ex poſt facto militibus conceſſa.*

14. *Quando res mobilis capta fiat occupantium?*

15. *Quid circa arma capta fuerit obſervatum?*

16. *Quæ ſit differentia inter prædam & manubias?*

17. *Quid hodie circa res immobiles captas obſervetur?*

18. *Capti non fiunt capientium ſervi, niſi in bello barbarico.*

19. *Quid juris ſit circa mobilia publicis expeditionibus aut excurſionibus privatis occupata? ubi variæ quæſtiones.*

20. *Quid in captis in conflictu maritimo? ubi de fortitudinis præmiis pecuniariis?*

21. *Quid ſi navis ſit amicorum, merces vero hoſtium, aut vice verſâ?*

22. *Utrum rectius cuique quod occupat concedatur; an potius inter omnes inſtitui debeat univerſæ prædæ diſtributio?*

23. *Quid ſi navis ab hoſtibus capta, per amicos aut ſocios recuperetur?*

24. *Quid ſi non recepta, ſed redemta fuerit verum infra juſtum pretium?*

1. QUemadmodum pœnis atrocioribus delinquentes coërcentur in bello milites, ita quoque præmia generoſis animis, & ſanguine ac ſudore ſuo Rempublicam ſtruentibus erogari neceſſe eſt: neque enim vel domum vel Rempublicam ſtare poſſe, Cicero pronunciavit, *lib.* 3. *de natura Deorum*, ſi in eâ non aliqua recte factis extſtarent præmia; quippe quæ ſtimulos, calcaria, ac faces ad virtutem addunt: adeo ut ad rem ſtrenuè gerendam etiam ipſi ſuſcitentur ignavi, ubi condignâ præmiorum remuneratione cernunt commilitonum

litonum ornari fortitudinem ; Proinde merito Pericles in eorum Republicâ viros dixit eſſe præſtantiſſimos, apud quos maxima proponerentur virtutis præmia: atque ita Themiſtocli ſomnum excuſſiſſe conſtat in Miltiadis honorem erecta monumenta: *non ſinit*, inquit, *me dormire torpeſcereve Miltiadis trophæum*, Plutarch. in Apopthegm. Et Scipio, aliique illuſtres Romanorum Duces aſſeverare ſoliti, cum majorum intuerentur imagines, vehementiſſimè ſibi animum ad virtutem accendi. Rerum ſcilicet geſtarum memoriâ viris egregiis generoſi naſcebantur in pectore ſpiritus, & eximius animum ſtimulabat ardor, nec ante ſedabatur, quam virtute majorum gloriam vel ſuperaſſent vel adæquaſſent. Qua de cauſa varia pro diverſis præliantium meritis ac dignitate conſtituta reperiuntur fortitudinis præmia.

2. Primum ac generale omnium tam militum quam Præfectorum eſt, ipſa virtus, & recti conſcia mens è prælio ſuperſtitibus, ac jucunda poſteritatis recordatio. At ſi confligentes in acie perierint, non minimum eſt, quod pro vivis tamen habeantur: cum in perpetuum per gloriam vivere credantur, qui pro Republica ceciderunt, & extremum effuderunt in victoriâ ſpiritum, *princip. inſtit. de excuſat. tutor.* Felices eos Cicero deprædicat, Philipp. 14. *O fortunata mors*, inquit, *quæ naturæ debita pro patria eſt potiſſimum reddita*, *vos verò patriæ natos judico*, ---- *quos laudare quam lugere præſtabit*, &c. in ipſa quippe virtute defuncti pulcherrima brevis doloris præmia ferunt, in terris uſque famâ futuri ſuperſtites; ſic ut eorum memoriam laudeſque meritiſſimas extinguere nequeat ullius ævi lapſus, ſed indies magis magiſque ſeri nepotes veneraturi ſint. Unde ſummam olim Lacænæ mu-

mulieres concipiebant animo lætitiam, ſi filii ipſorum adverſis in prælio cecidiſſent vulneribus. Et Lacedemoniorum ab Antigono devictorum, nemo (teſte Juſtino *lib.* 28. *cap.* 4.) amiſſam flebat conjugem: filiorum mortem ſenes laudabant: patribus in acie cæſis filii gratulabantur: ſuam omnes vicem dolebant, quod non ipſi pro patriæ libertate cecidiſſent. Cimbri vero & Celtiberi gaudio exultabant in acie, tanquam glorioſè & feliciter vitâ exceſſuri: at in morbo quaſi turpiter & miſerabiliter perituri lamentabantur, Valer. Maxim. *lib.* 2. *cap.* 6. *n.* 11. Et ne militum gregariorum hoc pacto morientium una cum vita extingueretur memoria, Romanorum in bellum euntium ſingula nomina tabulis inſcripta fuiſſe legimus, ut innoteſcere poſſent omnibus illi, quibus honeſtum ac glorioſum contigiſſet pro Republica ſubire fatum, Alexand. ab Alex. *genial. lib.* 1. *cap.* 20. Ne autem liberorum amore ducti milites abſterrerentur, quo minus ardua pro Republica ſubirent pericula, ubi ſecum perpendebant, eos parentis ope deſtitutos, miſeros & omnium egenos paſſim oberraturos eſſe; prudenter admodum conſtituerunt Romani, ut illorum, qui in acie periiſſent, liberi publicis alerentur impenſis, Julius Ferretus *de re milit. pag.* 49. *num.* 35. in eo Solonis ſapientiſſimi Græcorum legiſlatoris imitantes inſtitutum; qui in bello cæſorum liberos ex publico nutriendos eſſe erudiendoſque præceperat, Diogenes Laërtius *in vita Solonis.* Quod ferè moribus eſt introductum in Belgio Fœderato, dum pupilli, quibus nondum per ætatem licet victum ſibi quærere, publicis in orphanotrophiis, aut penes cives honeſtos educantur, donec artem quampiam vel liberalem vel mechanicam edocti ſuo poſſint victitare ſucco.

3. Ca-

3. Cæterùm exercituum Ducibus tributi ſpeciatim honores : re namque proſperè geſtâ ipſis trophæa erigebantur , ſtipites , quibus hoſtium affixa ſpolia, de quibus Philipp. Beroald. *in comment. ad Sueton. in vita Cæſaris cap.* 11. Imperatoris nomine ſalutabantur à militibus, literis deinde laureatis idem illud à Senatu petebant, ut & ſupplicationem ; quam ubi Senatus decreviſſet , vel longiorem vel breviorem per victoriæ victoriſque dignitate, ſolenniter ad templa ſeſe conferebat, ſacrificabat , & epulum dabat ; feſtos dies agebat populus in lætitiæ ſignum , Diiſque pro parta victoria gratias agebat. Cui non longè diſſimile quid moribus obtinere cuique notum ; cum propter egregiam ab inimicis relatam victoriam ſolennis injungitur omnibus ſupplicationis dies, precibus , concionibus , & gratiarum actionibus , tympanorum ſonitu, clangore turbarum, tormentorum diſploſione crebris intermicantibus artificioſis ignibus inſignis. Et hæc quidem abſenti plerunque decreta victori : Romam poſtea reverſo concedebatur à Senatu, juſſu populi accedente , triumphandi poteſtas , præſertim ſi poſtremam Imperator graviori ac diuturno bello manum impoſuiſſet. Triumphus autem magnifico ac ſumptuoſo celebratur ornatu ; currui triumphali laureâ coronatus inſidebat exercitûs Imperator , ac præcedentibus captivis inimicorum Ducibus, exercitu ſubſequente, per portam triumphalem ad forum tendebat, aſcendebatque in capitolium ; templorum deinde reſerabantur fores, ſuffitibus implebantur ædes ſacræ, cæſis & immolatis in Deorum honorem hoſtiis ; extructæ præterea columnæ & arcus triumphales, erectæ ſtatuæ, & triumphalia poſita circa limen domûs ornamenta. Nec cum diebus feſtis aut victoris vitâ periebat trium-

triumphi decus; ſed & poſt triumphantium permanebat obitum; in ſucceſſorum enim atriis collocabantur illorum imagines, curribus ſublimes triumphalibus. Unde Juvenalis Satyr. 8. inquit;

——— *Stantes in curribus Æmilianos.*

Etiam foris hoſtium ſpolia ac victorum imagines ponebantur, de quibus ita Plinius natur. hiſtor. lib. 35. cap. 2. *Foris & circa limina animorum ingentium imagines erant affixis hoſtium ſpoliis, quæ nec emtori refringere liceret; triumphabantque etiam dominis mutatis ipſæ domus, & erat hæc ſtimulatio ingens, exprobrantibus tectis, quotidie imbellem dominum intrare in alienum triumphum.* Quod ſi levius eſſet confectum bellum, vel adverſus obſcuros minuſque claros geſtum inimicos, veluti quibus nullo jure competebat indicendi belli facultas, major non decernebatur à Senatu triumphus, ſed minor, ovatio dicta; cui non tanta, quam quidem triumpho majori, pompa fuit adhibita; curru urbem intrare nefas erat: ſed vel equo vehebatur, vel pedibus incedebat ovans myrto coronatus. De majore ac minore triumpho, eorum origine, & differentiâ latius ſcripſerunt, Alexander ab Alex. *genial. dier. lib.* 1. *cap.* 22. Panciroll. *rerum memorabil. part.* 1. *cap.* 57. *ibique Salmuth. in comment.* Valtrinus *de re milit. lib.* 7. *cap.* 3. *& ſeqq.* Roſinus *antiquit. Romanar. lib.* 10. *cap.* 28. 29. De Guicchardo *de triumphis veterum.* Illud inſuper Ducum virtuti tributum quandoque fuiſſe conſtat, ut à devictis gentibus agnomina ſortirentur: ſic Africani, Numidici, Sarmatici, appellati, quod Africam, Numidiam, Sarmatas ſubegiſſent: & inde tot nominibus inſignitus in inſtitutionibus Juſtinianus, Alemanicus, Gothicus, Francicus, Germanicus, Atticus, Alanicus, Vandalicus, Africanus dic-

dictus. Parens p. m. Paulus Voet *in comment. ad princip. præmii Inſtit. n. 7.*

4. Porro minoribus etiam militibus pro cujuſque merito fortitudinis aſſignata præmia, & luculentis eorum virtus ornata laudum præconiis: à triumphantibus enim publicè laudabantur Imperatoribus, & acclamante populo currum triumphalem ordine quiſque ſuo ſequebatur, donis, quibus à Duce ſuo decoratus erat, conſpicuus: ſæpiſſimè quippe corona militibus in fortitudinis præmium dabatur, eaque, ſi quidem miles civem ſervaſſet, quernea erat, civica vocata: ſi murum primus ſubiiſſet, aurea; & muralis appellata: ſi primus hoſtium munitiones ſuperaſſet, itidem aurea, & valris ſeu caſtrenſis nuncupata: ſi denique primus hoſtilem conſcendiſſet in conflictu maritimo navim, aurea uti cæteræ, & roſtrata dicta; hiſque conceſſum, ut in ludis & ubique coronis is ornare ſe poſſent, ac priores in theatris ad ſpectandum occupare ſedes. De his plura vide apud Polyb. *lib. 6.* Alex. ab Alexandro *gen. dier. lib.* 4. *cap.* 18. Panciroll. *rerum memorab. lib.* 1. *cap.* 55. *ibique Salmuth.* Valtrinus *de re milit. lib. 6. cap.* 4. Roſin. *lib.* 10. *cap.* 27. Adhæc torquibus, armillis, corniculis, haſtis, phaleris, aliiſque militaribus quandoque donis exornati; nonnunquam iis ante tempus legitimum indulta immunitas.

5. Atque hæc ſunt, quibus militum gloria magis & dignitas, quam quidem res familiaris augebatur: cæterum ex hoſtico ſpolia referri ſolita & ſperata præda principales fere cauſæ ſunt, quæ minores ad militiam ac virtutem milites ſtimulant; honorem illi tanquam inane nomen contemnunt: conqueruntur apud Tacitum *hiſtor. lib.* 3. *cap.* 19. & indignè ferunt, *ſe pro labore ac vulneribus clementiam*

mentiam ac gloriam, *inania laturos*; *ſed opes Cremonenſium in ſinu Præfectorum legatorumque fore.* Ut verum nimis ſit, pleroſque non in patriam pietatem, non gloriæ cupidinem, ſed ſolam prædæ ſpem ad bellum pertrahere, & homines quovis famâ fugaciores lucri gratum odorem fortes efficere. Quid juris igitur olim, quid hodie circa res captas ab hoſtibus & prædæ diſtributionem obſervetur, paucis explicabo.

6. Et jure quidem gentium ſecundario res in bello captæ fiunt capientium, §. 17. *inſtit. de rer. diviſ. l.* 5. §. *fin. ff. de acquir. rer. domin.* Quod in æquitate ac naturali ratione fundatum eſt; cum conveniens ſit ac ſecundùm naturam, commoda cujuſque rei eum ſequi, quem ſequuntur incommoda, *l.* 10. *ff. de regul. jur.* Cum itaque res occupans hoſtiles grande ſubeat vitæ periculum, & inediam, vigilias, aëriſque ſufferat injuriam, conſequens eſt, ut & eo, quod labore ſuo paravit, commodo fruatur.

7. Aſt ab hoc jure paulatim quodammodo receſſum eſt tam legibus divinis, quam humanis conſtitutionibus, & urgente neceſſitate vel utilitate publicâ varia diverſarum gentium hac in re fuit introducta conſuetudo. Jure namque divino ſeu Hebræorum inter res mobiles & immobiles adhibita diſtinctio; ſic ut immobiles quidem inter tribus diſtributæ fuerint, vel ſortis interpoſitione, vel citrà ſortem. Citra ſortem poſteris Ruben, poſteris Gad, & dimidiæ parti poſterorum Manaſſes à Moïſe conceſſæ ſunt poſſeſſiones & agri ad illorum petitionem, conſentientibus reliquarum tribuum Principibus, *Numeror. cap.* 32. Pari ratione Calepho juxta divinam promiſſionem attributa ſine ſorte fuit hæreditaria portio, *Joſue cap.* 14. *verſ.* 12. 13. Reliquis

liquis tribubus aſſignati per ſortem agrorum termini, poſtquam per viros quoſdam fide dignos ad hoc negotium ex unâquaque tribu delegatos in æquas partes univerſa regio pro tribuum numero diviſa erat, *Joſuæ cap.* 18. *&* 19. *paſſim.* Singulis hoc pacto tribubus portione datâ, univerſis dein familiis ac perſonis ſingulis conſtituti terræ limites, uti id apparet ex facto filiarum Selophad, *Numeror. cap.* 27. *Joſuæ cap.* 17. & Calephi *Joſuæ cap.* 14. Theodor. Graſwinckel *de prælud. Juſtitiæ quæſt.* 3. *ſect.* 3. *pag.* 180. Si autem nonnulli poſt inſtitutam immobilium diviſionem finitimas è ſedibus ſuis gentes depuliſſent, cùm propter accreſcentem hominum multitudinem nimis anguſtus eſſet habitandi locus; expulſorum agri ad illam ſolummodo tribum pertinebant aut familiam, quæ peregrinos illos ejeciſſet populos, *Joſuæ cap.* 17. *verſ.* 14. *& ſeqq. & cap.* 19. *verſ.* 47.

8. Res verò mobiles quod attinet, illæ ſi ab univerſis captæ eſſent, inter omnes æqualiter dividebantur, *Deuteron. cap.* 20. *verſ.* 14. *Joſuæ cap.* 8. *verſ.* 27. p. m. parens Paulus Voet *in comment. ad* §. 17. *inſtit. de rerum diviſ.* Quod ſi ab exercitûs parte eſſent occupatæ, regulariter ad ſingulos, qui primi illa occupaſſent, devolvebantur dominii jure res inanimatæ, veluti veſtes, aurea ac argentea ſupplex, aliaque, *Numeror. cap.* 31. *verſ.* 50. 53. Si autem animatæ eſſent, veluti fœminæ, infantes, pecora & armenta, in duas ſcindebantur partes, alterâ præliantibus, alterâ reliquis impedimenta ſervantibus aſſignatâ, hâc tamen adhibitâ differentiâ, quod à præliantium portione quingenteſima, à cæterorum vero portione pars quinquageſima in cenſum Deo penderetur, *Numer. cap.* 31. *verſ.* 27. *& ſeqq.* Aſt hæc dividendi methodus poſtea paulatim

in deſuetudinem abiit, ac paſſim fuit obſervatum; ut univerſa tam inanimatarum quam animatarum rerum præda æqualiter inter omnes diſtribueretur, tam eos, qui apud impedimenta remanſiſſent, quam qui cum hoſtibus conſeruiſſent in prælio manus, nullâ primi occupantis habitâ ratione, *Joſuæ cap.* 22. *verſ.* 8. 1. *Reg. cap.* 30. *verſ.* 24. 25. p. m. parens *ad d.* §. 17. Si vero res eſſent Deo devotæ vel anathemate concluſæ, non jure dominii cedere cuiquam poterant, ſed inanimatæ perdendæ erant, animalia internecione trucidanda: qui ſecus feciſſet, ſacrilegii reus erat, *Joſua cap.* 6. *verſ.* 17. & *ſeqq.* & *cap.* 7. *verſ.* 1. *Deuteronom. cap.* 20. *verſ.* 17. 1. *Reg. cap.* 15. *verſ.* 3.

9. Ab Hebræis ad Græcos tranſeamus, ubi tamen, quid in iis, quæ ab hoſtibus eſſent direpta, juris fuerit, vix certâ regulâ definiri poteſt: nihilominus quid obtinuerit aliquando, paucis expediam. Ad Rempublicam pertinebant ipſæ civitates per vim occupatæ, Juſtin. *lib.* 3. *cap.* 6. & *lib.* 5. *cap.* 4. Res autem mobiles, quas quis in ipſo conflictu cepiſſet ab adverſariis, occupantis erant; adeoque ſi armatâ manu citra deditionem capta foret adverſariorum civitas, univerſa diripiebatur ab exercitu victore præda, Curtius *lib.* 7. *cap.* 6. Quod ſi juſto prælio inter duos hoſtiles decerneretur exercitus, poſt certamen nulla direpta prædæ pars; ſed aut inter omnes æqualiter dividebatur, uti diviſum fuit inter Græcos aurum & regulis Perſarum opulentia, Juſtin. *lib.* 2. *cap.* 14. eamque mediante ſorte diviſionem inſtitutam fuiſſe, docet Virgilius lib. 9. Æneid. v. 267. ubi Aſcanius inquit;

Si vero capere Italiam, ſceptriſque potiri
Contigerit victori, & prædæ ducere ſortem:
Vidiſti, quo Turnus equo, quibus ibat in armis,

An-

Aureus? ipſum illum clypeum criſtaſque rubentes
Excipiam ſorti....

Aut publicabatur, ex eâque publicatâ vel ſingulis militibus præmii loco pars aſſignabatur. Alexander Magnus prædæ partem poſt admiſſum prælium militibus in congiarium dedit, Curtius *lib.*6. *cap.*2. Unde & alibi gloriatur, *ſcire omnes unum ſe prædæ communis exſortem eſſe*; *in illis colendis ornandiſque uſurpare victoriæ præmia*, Curt. *lib.* 4. *cap.* 14. Vel etiam inde reſtituebatur, quicquid ab hoſtibus dirutum eſſet aut everſum, Juſtin. *lib.* 6. *cap.* 5. Phocenſes prædâ ab inimicis partâ mercenarium conduxiſſe militem, idem Juſtinus autor eſt *lib.* 8. *cap.* 1. Arma autem devictorum quandoque Diis conſecrata. Sic apud Euripid. in Phœniſſâ,

Thebis crematis ſcuta Polynices Deis
Suſpenſa ſacrat.

Alia plura Græcorum exempla Grotius enumerat *de Jure Belli ac Pacis lib.*3. *cap.*6. *n.*14. Hinc neceſſe fuit, poſt prælium, à viris juſtitiâ ac probitate ſupra alios excellentibus, aſſervari prædam, ideoque Ariſtidi virtutis causâ juſto dicto commiſſa prædæ Marathoniæ cuſtodia, Plutarch. *in ejus vitâ.* Troyâ captâ res omnes in unum collatæ locum ab Uliſſe ac Phœnice cuſtodiebantur, Virgil. *lib.* 2. *Æneid.* Et Alexander Magnus receptam prædam Parmenioni dedit aſſervandam, Curt. *lib.* 4. *cap.* 1.

10. Romanorum quod ſpectat ejus in iis quæ bello capta ſunt, illud ſic ſeſe habet; res immobiles, ut agri, in prædam propriè ſic dictam militibus non cedebant, ſed publicabantur, *l.* 20. §. 1. *ff. de captiv. & poſtlim. l.* 31. *ff. de jure Fiſci*, niſi tales eſſent agri, quos ante à Romanis civibus hoſtes belli jure cepiſſent: in illis enim juris poſtliminii locus erat; ſic ut ad priſtinos agri recuperati domi-

 nos

nos reverterentur; eo quippe jure res immobiles ejus cenſebantur eſſe conditionis, quaſi nunquam ab adverſariis occupatæ fuiſſent. Obiter hic notandum, poſtliminii jus in immobilibus regulariter obtinuiſſe, non item in mobilibus, *l.* 28. *ff. de captivis & poſtlim.* niſi forte navis oneraria major, vel equus foret ab hoſtibus recuperatus, *l.* 2. *ff. de captiv. & poſtlimin.* vel ſervus noſter, *l. fin. ff. d. tit.* Scipio tamen Africanus etiam in aliis rebus mobilibus poſtliminii jura vigere voluit: cum enim in hoſtili civitate capta multa Græcorum ſigna repeiſſet & ornamenta, per præconem edici juſſit, ut urbes Græciæ legatos mitterent, qui, quicquid ad ſe pertinere demonſtraſſent, rebus captis eximerent, Plutarch. *in Apopthegm.* Lucretius cum ingenti prædâ Romam reverſus, eam omnem per triduum in campo Martio expoſuit, ut ſuum quiſque cognitum abduceret, Livius *lib.* 3. Sed de diverticulo in viam revertamur. Poſtquam igitur in publicum agri forent redacti, quandoque partem eorum veteranis in præmium aſſignatam fuiſſe, patet ex *l.* 15. §. 2. *ff. de rei vindicat. l.* 16. *ff. de acquirend. rer. dominio. l.* 11. *ff. de evictionibus.* Cujac. *obſervat. lib.* 19. *cap.* 7. p. m. parens Paulus Voet *in comment. ad* §. 17. *inſtit. de rer. diviſ. n.* 1. *& in tractat. de natura mobil. & immobil. cap.* 19. *n.* 2. Hinc Virgilius Eclog. 1. v. 71.

Impius hæc tam culta novalia miles habebit?
Barbarus has ſegetes? en quo diſcordia cives
Perduxit miſeros! en queis conſevimus agros!

& Cæſar apud Lucanum de bello Cæſaris & Pompeji lib. 1.

His ſaltem longi, non me duce, præmia belli
Reddantur: miles ſub quolibet iſte triumphet.
Conferet exanguis quo ſe poſt fata ſenectus?

Qua

Quæ ſedes erit emeritis? quæ rura dabuntur
Quæ noſter veteranus aret? quæ mœnia feſſis?
Nonnunquam aliis indigentibus prædiorum in poteſtatem redactorum portio gratis conceſſa, atque ita de Antiatum agro capto partem inter pauperes diviſam fuiſſe, teſtatur Dionyſius Halicarnaſſ. *Antiquit. Roman. lib.* 9.

11. Quando autem captus ab hoſtibus cenſeatur ager, diſquiri ſolet. Grotius *de Jure Belli ac Pac. lib.* 3. *cap.* 6. *n.* 4. & 11. exiſtimat, agrum non eſſe captum, ſi adverſarii illum actu detineant, ſed firmam requiri poſſeſſionem, veluti, ſi per munitiones, aut aliter adverſus hoſtes defendi poſſit: eoque Romanorum adducit exemplum agrum vendentium, quem ante portam caſtris Hannibal inſederat. Verum ſi quis accuratius perpenderit legem 1. *in princ.* & §. 1. *ff. de acquir. poſſeſſ.* ei dubium non erit, quin ad id, ut ager dici poſſit captus ab hoſtibus, ſufficiat qualiſcunque naturalis poſſeſſio. Paulus namque Juriſconſultus juxta Labeonem in princip. *d. l.* 1. ait; poſſeſſionem appellatam eſſe à ſedibus, quaſi poſitionem, quia naturaliter tenetur ab eo, qui ei inſiſtit; ac ſtatim ſubjungit §. 1. dominium rerum ex illa naturali cepiſſe poſſeſſione, ejuſque rei veſtigium remanere de bis quæ terrâ, mari, cæloque capiuntur, quæque bello capta ſunt. Sequitur itaque, qualicunque naturali poſſeſſione & occupatione dominium ad hoſtes tranſlatum eſſe. Quo facit & illud Celſi in l. 18. *in fine ff. de acquir. vel amitt. poſſeſſ. Si cum magna vi ingreſſus eſt exercitus*, inquit, *eam tantummodo partem, quam intraverit, obtinet.* Neque obſtat Hannibalis exemplum à Grotio in opinionis ſuæ probationem adductum; neque enim ex venditione vendentis probari poterit dominium; nec ſequitur, agrum illum,

ſi venditus fuerit, adhuc in Romanorum remanſiſſe poteſtate, cum juris minimè controverſi ſit, non tantum rem propriam, ſed & alienam vendi poſſe, *l.* 28. *ff. de contrahend. emtione*, & validam ad pretium conſequendum actionem naſci, ſi emtor non ignoraverit emptæ rei conditionem, *l.* 57. §. 1. 2. *ff. eod. tit.* Vel etiam reſponderi poteſt, legitimam fuiſſe agri illius ab Hannibali detenti venditionem, quia nondum omnis poſtliminii ſpes erat diſſipata, Ajala *de Jure & Offic. Belli lib.* 1. *cap.* 5. *n.* 36. Certum enim eſt, etiam circa ea, quæ reditura ſperantur ab hoſtibus, contractum poſſe celebrari, *l.* 22. §. *fin. l.* 23. *ff. famil. erciſc.*

12. Circa mobilia autem, (quorum nomine etiam captivos complector, hoſtes & animalia reliqua ſeſe moventia) à militibus ejuſmodi fuit introducta conſuetudo, ut armatâ vi captæ civitatis præda ad occupantes pertineat. Sic tumultuantes in caſtris cohortes apud Tacitum *hiſtor. lib.* 3. *cap.* 19. inquiunt *expugnatæ urbis prædam ad milites, deditæ ad Duces pertinere.* Unde & Æmilius armatis Phocæam invadentibus, ait; *captas, non deditas diripi urbes*, Livius *lib.* 37. Hic belli jure mos invaluerat, hunc ſummo paſſim milites urgebant animi fervore: eaque de causâ ſæpe Duces Romani militibus ſuis urbium direptiones concedere compulſi, importunis ipſorum tandem expugnati petitionibus, cujuſmodi varia Grotius recenſet exempla, *lib.* 3. *de Jure Bell. ac Pac. cap.* 6. *n.* 18. quò, ne actum agam, æquum lectorem remitto. Quod vero milites dicerent, ad Duces urbis deditæ prædam pertinere, non illud denotat, quaſi ad illos jure devolveretur omnis prædæ dominium; ſed vel quod de facto multa ſolerent Duces è rebus captis intervertere, ac privato adjungere patrimonio; vel quod

quod ipſis eſſet conceſſa facultas aliquid inter milites ex præda diſtribuendi: viris enim glorioſiſſimis militum magiſtris Juſtinianus & ante hunc alii permiſerunt, ut ex hoſtium ſpoliis donationes fortiſſimis poſſent præſtare militibus, *l.* 36. §. 1. *C. de Donationibus*; atque ita torquibus, armillis, coronis, aliiſque donis militaribus ſæpius ornati milites, de quibus ante diximus. Alioquin omnis poſt prælium vel per deditionem acquiſita præda in Fiſcum ſeu ærarium erat conferenda, *l.* 13. *ff. ad leg. Jul. peculatus:* & ab ærarii Quæſtore ſub haſta divendenda, quod apertè docet Dionyſ. Halicarnaſſ. lib. 7. *omnes profectò ſcitis*, inquit, *prædam ex hoſtibus captam, noſtraque virtute partam ad Rempublicam legis juſſu pertinere, & non modo nullum privatum hominem, ſed ne ipſum quidem Imperatorem in iſtam jus habere; ſed Quæſtoris eſſe hanc acceptam vendere, & pecuniam hinc redactam in ærarium ferre.* Sic, eodem Dionyſ. Halicarnaſſ. teſte, *lib.* 8. Conſul Fabius omnem prædam & ſpolia & captivos, quibus potitus fuerat, per Quæſtorem vendi juſſit, pecuniamque in urbem detulit. Plura vide apud Ajalam *de Jure & Offic. Bell. lib.* 1. *c.* 5. *n.* 5. Ex ea autem præda in Fiſcum redigenda liberum fuit exercitûs Imperatoribus decimas Diis ſuis ad obtinendam vovere victoriam: unde & Jupiter Prædator dictus, de quo latè tractat Alexander ab Alex. *genial. dier. lib.* 3. *cap.* 22. Vel etiam ex manubiis ludos ac templa, Jovi ſtatori Romulus, Saturno & Opi Tullus Hoſtilius, Jovi victori Papirius & Fabius, Ceteri Libero liberæque Dictator Poſthumius votis nuncupatis templa promiſerunt.

13. Plurima tamen paſſim reperiuntur exempla, quibus conſtat, univerſam quandoque prædam,

aliquando magnam ejus partem militibus fuiſſe datam; ut vel ejus, quod quiſque manu propriâ cepiſſet, occupantem ex poſt facto dominum fieri permitterent, uti quondam militibus ſuis Alexander Severus id, quod devictis Perſis eripuiſſent, dominii jure retinere conceſſit. Ælius Lamprid. *in vita Alexandri Severi.* Vel inter omnes æqualiter omnia ab hoſtibus capta pro cujuſque dignitate diſtribuerentur; quo caſu hanc proportionem obſervatam fuiſſe Grotius ait *d. cap.6. n.*17. ut ſimplex pediti, duplex Centurioni, triplex equiti; aliquando ſimplex pediti, duplex equiti; nonnunquam ſimplex pediti, duplex Centurioni, Tribuno & equiti quadruplex daretur. Et ita Probus Imperator omnem prædam militibus diviſit, nihil præter arma & tela ſibi ſervans, Flavius Voſpiſcus *in vita Probi.* Et *lib.*45. Livius ait, omnem prædam ad epulandum inter milites diviſam. Servilius aurum, argentum, veſtes, homines, & quicquid ex Volſcis captum eſſet, inter milites diſtribui juſſit, Dionyſ. Halicarnaſſ. *lib.* 6. Alia adducit exempla Grotius *de Jure Bell. & Pacis d. cap.* 6. *n.* 20. Ajala *de Jur. & Offic. Bell. lib.* 1. *cap.* 5. *n.* 6.

14. At vehementer jam dictis obſtant *l.* 5. §. *fin. l.* 51. §. 1. *ff. de acquir. rer. domin.* §. 17. *inſtit. de rer. diviſ.* quæ res univerſas ab hoſtibus captas non publicas ſed occupantium fieri dictitant. Hinc de vero earum ſenſu & explicatione variæ doctorum opiniones. Diſtinguendum cenſet Bocerus *claſſ.* 5. *diſp.* 3. *n.* 57. & 58. utrum res mobilis capta ſit hoſtibus jam devictis, an vero antequam eſſent ſuperati; & hoc caſu occupantis eam fieri, illo non; item Grotius deſpiciendum exiſtimat. *lib.* 3. *cap.* 6. *n.* 12. an in miniſterio publico præda capta ſit, an vero extra illud; hic capienti dominium adjudicat,

illic

illic denegat. Weſenbecius vero *conſil.* 202. *n.* 74. tum demum capta fieri capientium putat, cum Duci oblata ab eo inter milites diſtributa ſunt. At nullis ſolidis horum ſententiæ fulciuntur argumentis; proinde rectius cum Merenda *controverſ. lib.* 2. *cap.* 22. ſtatuendum eſſe judico, res omnes mobiles captas Reipublicæ cedere, non capientibus; in Ducum tamen fuiſſe poteſtate, ut ad magis incitandos præliantium animos urbem diripiendam militibus concederent, ac tum demum ejus ſibi quemque plenùm ac legitimum acquiſiviſſe dominium, quod in expugnata civitate primus occupaſſet; nec ad collationem obligatum fuiſſe, ut univerſa deinde præda inter milites divideretur: quæ §. 17. *inſtit.* & *legis* 5. §. *fin. ff. de acquir. domin.* mens eſt: Ejuſmodi autem direptiones à Ducibus conceſſas fuiſſe, ſupra diximus, & multis ex Livio allatis Merenda confirmat exemplis, *d. cap.* 22. *n.* 18. Lex autem 51. §. 1. *ff. de acquir. domin.* non de rebus ab hoſtibus captis mentionem facit; ſed de iis, quæ belli tempore hoſtium erant, & penes nos reperiebantur, quas propterea ab occupantibus ſeu poſſidentibus dominii jure retineri poſſe Celſus ait in hac *l.* 51. & Tryphonius in *l.* 12. *ff. de captiv.* & *poſtlim.* Cujac. *obſervat. lib.* 4. *cap.* 9. Confer *comment. ad Pand. tit. de acquir. rerum dominio num.* 8. ubi hæc paulò aliter.

15. Arma vero hoſtium capta quod attinet, illa nonnunquam poſtibus ſuſpendebantur ante victorum ædes: hinc Silius lib. 6.

Unde ire in Martem quâ capta referre ſolebas,
Et victor mecum ſuſpendere poſtibus arma.

Nonnunquam Diis conſecrata; ſic Jovi Feretrio optima de Acrone Cæminenſium Rege ſpolia Romulus manibus ſuis reportavit, Livius *lib.* 1. Pari ratione

ratione A. Cornelius Coſſus Tolumnii Vejentum Regis arma in Feretrii Jovis æde cum ſolenni dedicatione dono fixit, Livius *lib.* 4. Plerunque tamen igne conſumebantur, unde Florus inquit lib. 4. cap. 12. *arma victorum non de more belli cremata, ſed capta ſunt.* In ingentem enim acervum cumulata comburendo ſacrum Vulcano faciebant exercituum Præfecti; idque Marcellus, id equitum Magiſter Fabius, id plures alii Duces eximi peregerunt, de quibus paſſim Livius.

16. Inter prædam autem & manubias (quod hic breviter obſervandum) anxiè diſtinxerunt linguæ Latinæ politioris cultores curioſi; prædam appellarunt omnes res mobiles ab hoſtibus captas, & manubias univerſam illam dixerunt pecuniam, quæ ex divendita præda collecta erat, illudque Ciceronis autoritate probat Aulus Gellius *Noctium Attic. lib.* 13. *cap.* 23.

17. Hodiernis moribus non in univerſum rigidum illud in belli negotiis jus gentium viget inter Chriſtianos; verum in nonnullis mutuo bellantium conſenſu receſſum eſt à priſtina populorum conſuetudine. Quoad res igitur immobiles diſtinguendum, num in Reipublicæ fuerint dominio, an vero ad ſingulos pertinuerint cives in urbibus & agris hoſtilibus degentes. Et captâ quidem civitate vel alio munito loco, in victricis Reipublicæ dominium jure belli tranſit illius territorii juriſdictio, jus tributorum ac vectigalium, & omnes agri publici. Singulorum vero prædia victori non cedunt populo, urbe deditâ, ſed in tranquillâ quiſque permanet illorum poſſeſſione, modo tanquam civis aut ſubjectus fidelitatem novis velit præſtare dominis, & idem illorum nomine, quod reliqui, ſolvere tributum. Manzius *in comment. ad* §. 17. *inſtit. de*

rer. diviſ. num. 17. Alioquin in urbium traditionibus ſtipulari plerunque conſueverunt ſe dedentes, ut agris & ædibus intra certum tempus divenditis inde tuto liceat aliò commigrare, uti id apparet ex variis deditionum conditionibus à rerum noſtrarum ſcriptoribus Meterano, Montano, aliiſque exhibitis.

18. In rebus mobilibus illud obſervatur, ut homines quidem in bello, quod inter Principes Chriſtianos motum eſt, non fiant capientium ſervi, aut poſſeſſio dominorum animata: verum omni ſervitutis antiquato more, captivi domum remittendi ſint, perſoluto redemtionis pretio, Ajala *de jur. & offic. bell. lib.* 1. *cap.* 5. *n.* 1. p. m. Parens Paulus Voet *ad* §. 17. *inſtit. de rer. diviſ. n.* 3. quod in militibus ferè menſtruum eſt ſtipendium. Si vero captivus docere nequeat, in numeros militum ſe relatum eſſe, tantum, quantum poteſt, perſolvere cogitur, ut à captivitate liberatus ad patrias poſſit remeare ſedes. In bello tamen maritimo præliiſque navalibus capti, etiamſi de ipſorum militia ſole meridiano clarius conſtet, certo ac ſtatuto nunquam lytro redimuntur, quamdiu belli graſſatur incendium; teſtatur illud Reidanus *lib.* 1. *Annal.* & ex eo tempore quotidiana id abundè comprobavit experientia: ſic ut nec milites, dum in flumine publico navigarent, ab hoſtibus intercepti anno 1641. 23. Aprilis menſtruo potuerint militari more redimi ſtipendio; ſed cum adverſariis de redemtionis pretio tranſigere fuerint coacti, Ant. van Dalen KRYGSRAEDS BESOIGNES, TIT. VAN GEVANGENEN, *pag.* 119, 127. Cæterùm uſque adeo ab illo ſervitutis jure noſtra abhorret Reſpublica, ut omnes in univerſum ſervi, ſimul ac ditionis noſtræ limites intraverint, dominis invitis ad libertatem procla-

mare

mare poſſint, & ipſo jure naturalem cenſeantur ejus quod facere libuerit recuperaſſe facultatem, Groenweg. *de leg. abrogat. ad tit. inſtit. de his qui ſui vel alien. jur. ſunt.* Quod ſi Chriſtiani non cum Chriſtianis, ſed cum barbaris gentibus, veluti Turcis, Perſis, aliiſque bella gerant, durat etiamnum hodie priſtinus ſervitutis uſus, & utrinque capti fiunt capientium ſervi, Peregrin. *de jure Fiſci lib. 3. tit.* 3. p. m. Parens Paulus Voet *ad d.* §. 17. *&* *ad* §. 5. *inſtit. de jure perſonar. n.* 4. *ibique DD. citati.* Quamvis autem de jure Romano à barbaris capto non potuerit à quopiam hæreditas vel legatum relinqui, *l.* 4. §. 1. *ff. his quæ pro non ſcriptis habentur*, noſtris nihilominus moribus æque ſervo ac libero quid relinqui vel acquiri poteſt, Groenweg. *de leg. abrog. ad tit. inſtit. de his qui ſui vel alieni juris ſunt.* Quinimo, ſervos ejuſmodi, dum in ſervitute morantur, etiam ultimam poſſe condere voluntatem cenſet Covarruv. *in l. peccatum p.* 2. §. 11. *n.* 6. Groenweg. *ad* §. *fin. inſtit. quibus non eſt permiſſ. fac. teſtament.* p. m. Parens Paulus Voet *ibid. n.* 6.

19. In reliquis mobilibus non inepta, imo neceſſaria eſt illa Grotii diſtinctio; quam exhibet *lib.* 3. *de jure belli & pacis cap.* 6. *n.* 12. eumque ſecutus Groenwegen *ad d.* §. 17. *inſtit. de rerum diviſ.* aut enim capta ſunt à militibus in miniſterio publico & actu bellico verſantibus, veluti dum cum exercitu ſunt in expeditione, vel alias expreſſo exercitum regentis mandato ad intercipiendas hoſtiles miſſi merces, quarum ille per exploratores reſciverat adventum; atque tunc nihil omnino ſibi retinent primi occupantes; ſed quicquid captum eſt, Reipublicæ cedit. Aut hoſtibus erepta ſunt occaſione quidem belli, extra miniſterium tamen publicum;

blicum, veluti cum Gubernatoris alicujus accedente conſenſu liberas ac ſpontaneas nonnulli ſuſcipiunt in hoſtium excurſiones, & inimicorum depopulantur agros: eoque caſu dubium non eſt, quin ea, quæ capta ſunt, dominii jure fiant occupantium, non ſingulorum, ſed omnium excurſionis illius ac periculi ſociorum: quicquid enim captum eſt, in commune collatum ac deductum intra præſidia, ſub corona divenditur, & æqualiter inter expeditionis privatæ conſortes diſtribuitur prædæ pretium: ſicut duplex equiti, ſimplex pediti cedat; ſi ſoli ſint equites quinquagenarium excedentes numerum, Centurioni decuplex, ejus Legato quintuplex, Signifero triplex, hoſpitiorum Aſſignatori duplex, Decurioni ſeſquiplex, reliquis ſimplex debeatur. At ſi prædam occupantes pauciores ſint quam quinquaginta, Centurio ſextuplex, Legatus triplex, duplex Signifer, hoſpitiorum Aſſignator ſeſquiplex, ſimplex cæteri deducunt, Ant. van Dalen, KRYGSRAEDS BESOIGNES TIT. VAN BUYTEN, *p.* 35. *& ſeq.*

Quod ſi autem prædam à manipulo captam hoſtes recuperaſſent, eaque iterum ab alio manipulo ſuperveniente recuperantibus erepta fuiſſet, quæri poſſet; utrum primo manipulo, an utrique, an potius ſoli manipulo, qui poſtmodum ſupervenit, adjudicandum eſſet prædæ dominium? Belgii Fœderati conſilium militare maximè probavit opinionem ſentientium, ad ſolius ſecundi manipuli milites receptam prædam pertinere, Ant. van Dalen KRYGSRAEDS BESOIGNES *in ſubjunctis quæſtionibus*, *quæſt.* 5. *pag.* 276. *& ſeqq.* Cum enim primi manipuli ſocii eodem belli jure, quo res hoſtium ſuas effecerant, earum amiſiſſent dominium, & præda per priſtinos dominos recuperata primam in-

duiſſet

duiſſet naturam; manipulus ſecundus hoſtium potius quam commilitonum bona cepiſſe dicendus eſt, ac proinde merito ipſi tanquam primo occupanti cedit illorum dominium. Semper tamen aliqualis aſſignanda prædæ portio Gubernatori, Vicegubernatori, Præfecto Vigilum, Centurioni & Audientario, forte propter impetratam ab iis exeundi veniam, Paulus Voet *in comment. ad* §. 17. *inſtit. de rer. diviſ.* Cum vero factum aliquando fuerit, ut milites Gubernatoris conſenſu ad prædam ab adverſariis petendam exeuntes, Ordinum mandato, dum à præſidiis abeſſent, ad aliam cogerentur unà cum cohorte migrare civitatem; ardua inde nata eſt inter veteris & novi Præſidii Præfectum controverſia, ad quem magis devoluta jure foret interceptæ prædæ pars. Tutiſſimum & æquiſſimum eſſe cenſuerunt Judices militares, ſi, uti ſæpius Juſtinianus, mediam eo caſu viam eligerent, ac utriuſque loci Præfecto dimidiam aſſignarent portionis ex ſpolio debitæ partem, Ant. van Dalen KRYGSRAEDS BESOIGNES TIT. VAN BUYTEN, *pag.* 37. Cæterùm quantum cuique debeatur Præfecto, apud eundem vide *pag.* 35. *& ſeqq.* Et ne illi, quibus pars prædæ debetur, jure ſuo fraudarentur, prohibitum eſt, ne quis alibi, quam in caſtris, res captas diſtrahat: injunctum ex adverſo, ut omnem quilibet eo prædam deferant, ubi in præſidiis ſunt, ac apud præſidii Præfectum, quidnam ex hoſtico retulerint, intra tres horas à reditu profiteantur, *Inſtruct. milit. art.* 63. 64. Differentiæ autem inter res in miniſterio publico captas, & acquiſitas extra illud, ratio eſt; tum quod milites in miniſterio publico ſinguli Reipublicæ ſuſtineant perſonam, ejuſque vice fungantur, Groenwegen *ad* §. 17. *inſtit. de rer. diviſ.* tum forte, quod officii contemplatione

tione publicas ad expeditiones obſtricti ſint milites, earumque nomine menſtruum ipſis perſolvatur ſtipendium, in laborum ac periculi remunerationem; atque adeo, poſtquam in numeros referri ſe paſſi ſunt, volentes nolentes caſtra ſequi, præliis intereſſe, & omnibus modis Reipublicæ prodeſſe teneantur; at invitus nemo privatas compellatur in hoſtile ſolum excurſiones ſuſcipere, verum ſponte, & animi proprio motu penes Decanum vel alium quem ejuſmodi expeditioni Præpoſitum quiſque nomen profiteatur, & hoſtibus nocendi deſiderium. Proinde jure optimo per conſuetudinem introductum eſt, ut ad eos pro periculo, quod ſubierunt, præda devolveretur. Quandoque tamen etiam publicis in expeditionibus illud, quod capitur, primo cuique cedit occupanti, cum ſcilicet exercitûs Imperator ad incitandos militum animos, quo pertinacius irruerent, urbis expugnandæ permittit direptionem, p. m. Parens Paulus Voet *ad* §. 17. *inſtit. de rer. diviſ.*

20. Quod ſi maritimum geratur bellum, quicquid privati, Principis conſenſu naves ad conflictum bellicum propriis inſtruentes ſumtibus, publicis eripuerint adverſariis, id ad occupantes ſocios nauticos, naviumque dominos pertinet pro portionibus in ſocietatis contractu deſignatis; detractâ prius quintâ parte, quæ Reipublicæ, & decimâ, quæ maris Præfecto debetur, Grotius *de jure bell. ac pacis lib.* 3. *cap.* 6. *n.* 24. ubi & aliarum gentium hoc in negotio conſuetudines ſtrictim proponit. Illud autem omne, quod navibus bellicis ærarii publici adornatis impenſâ intercipitur, Reipublicæ cedit. Cæterùm & tunc aliquid ex præda præliantibus tribui docet experientia, præſertim in nuperrimis noſtris bellis maritimis, quo tempore non

navis

navis tantum bellica hoſtium, in conflictu publico ſuperata, ad occupantes pertinuit, & inter omnes ejus diſtractæ pretium pro cujuſque diviſum dignitate; verum inſuper Illuſtres ac Præpotentes Ordines Generales luculenta fortitudinis præmia propoſuerunt; adeo ut iis, qui ſupremi maris Præfecti navigium in poteſtatem redegiſſent, quinquaginta florenorum millia numerarentur; ſi navis eſſet alæ navalis Præfecti, triginta; ſi aliorum, viginti; ſi Centurionis quadraginta tormentis bellicis & amplius inſtructa, decem; ſin minor, ſex florenorum militibus occupantium foret remuneranda virtus: duplicatis præmiis, ſi privati nonnulli proprio impendio navigia comparantes, eaque Reipublicæ jungentes carinis tam eximium perpetraſſent pro patria facinus, juxta placitum Ordin. General. 27. Januarii & 10. Martii 1665. quod integrum exhibet Aitſema *hiſtor. lib.* 45. *edit. in* 4. *part.* 12. *pag.* 710. *&* 744. ubi & plura proponuntur pro cujuſque facti qualitate præmia, quæ hic enumerare nimis longum ac tædioſum foret. Ut tamen prætermittendum haud videatur, noviſſimo Placito Ordinum Generalium 6. *Junii* 1702. prœmia fortitudinis aucta fuiſſe illis, qui ſumtu privato ſeu proprio inſtructis ad prædas hoſtiles agendas navigiis hoſtilem ſive bellicam ſive prædatoriam navem occupaverint, & in portus noſtros deduxerint; dum præter ipſam navem & prædam captam, abſque ulla partium alioquin detrahendarum diminutione lucrifaciendam, amplius in ſingulos viros, qui initio prælii navem defenderunt hoſtilem, accipiunt è publico ſeptuaginta quinque florenos, totidemque in ſingulas libras globorum ferreorum, unâ vice ex tormentis bellicis majoribus, quibus armata fuit capta navis, emittendorum: iiſdemque fruuntur

tur prœmiis pecuniariis, ſi navis non capta, ſed igne, merſione, illiſione in vada vel littora, in univerſum ita perierint, ut & hoſtes eâ vecti aut perierint aut capti fuerint: nam ſi neque capti fuerint neque perierint, dimidia tantum prœmii ſuperioris pars victoribus ſolvenda eſt: ſicut & duæ tantum partes tertiæ præmiorum pecuniariorum iis adjudicandæ, ſi hæc extra mare noſtrum Boreale geſſa ſint.

21. Conſtat itaque penes nos, quicquid in mari captum eſt, occupantium eſſe: ſed quid ſi merces ſint amicorum aut pacem colentium, navis autem hoſtium; vel vice versâ? omnes quidem res in hoſtium navibus repertæ præſumuntur hoſtiles eſſe, adeoque capientium fieri; Loccenius *de jure maritimo lib. 2. cap. 4. n. 11.* ſi tamen probari poſſit, res quaſdam vel omnes, in carinis & apud hoſtes inventas, ad ſocios, non ad inimicos, dominii jure pertinere, illud obſervabitur, ut quicquid hoſtium eſſe probatur, in prædam cedet; at quicquid illorum eſt, quibuſcum nulla nobis intercedit inimicitia, priſtinis ſit reſtituendum poſſeſſoribus: ut nihilominus, ſi navis non ſit hoſtilis, cogi nauta poſſit, legitimâ perſolutâ vecturæ mercede, ad deferendas inimicorum merces in tutam aliquam navium ſtationem, uti judicatum apud Hollandos anno 1438. teſte Grotio *in addition. lib. 3. cap. 1. de jure belli & pacis.* Cum enim nec peregrinorum navigia gaudeant angariarum immunitate, ubi liberæ Reipublicæ vel regni utilitas illud exigit, *l.* 18. §. 22. *ff. de munerib. & honorib.* etiam jure merito poterunt in ipſo mari compelli ad præſtandum ſociis aut amicis temporarium ejuſmodi ſervitium. Et hæc ita circa res amicorum in navibus hoſtilibus repertas, ac vice versâ, niſi aliud peculiaribus in-

ter Principes ac populos conventionibus ad fictionum & fraudium occaſiones amputandas inductum appareat: quâ ratione inter Ordines Fœderati Belgii & Galliæ, Sueciæ, Luſitaniæ Reges placuit, merces eorum qui extra partes ſunt, in navibus hoſtilibus repertas, unà cum navigio capto capientibus acquiri; contra vero merces hoſtium vectas navibus eorum, qui bello impliciti non ſunt, ex navibus iſtis belli jure educi & occupari non poſſe, niſi ſint merces belli uſibus inſervientes; prout id apparet ex pactis publicis à me citatis in *comment. ad Pand. tit. de captiv. & poſtlim. num. 5. in fine.*

22. Quod ſi quiſpiam quæſiverit, utrum melius ſit, res in bello captas ad primum quemque occupantem jure dominii pertinere; an vero magis expediat, illas poſt ſuperatos hoſtes in unum conferri locum, ut debitam inde quilibet auferat portionem? Reſpondeo; juri & æquitati magis congruum, ac, ſi Reipublicæ maxime conſultum velimus, longe melius eſſe, ut inter omnes æqualis vel pro cujuſque meritis proportionata fiat ab Imperatore prædæ diſtributio: gratius quidem illud eſt lætiuſque, uti Grotius inquit dubitanter diſſentiens, quod ſuâ quiſque manu ex hoſte captum domum refert, quam ſi multiplex accederet alterius arbitrio; verum privati cujuſpiam lætitia commodo & emolumento Reipublicæ anteponenda non eſt, quod tamen eveniret, ſi quidem quibuſlibet rei, quam ipſi cepiſſent, dominium concederetur; cum varia ſæpius oriantur è direptionibus incommoda & exitioſæ Reipublicæ calamitates: antequam enim penitus impetrata victoria eſt, plerique nimio æſtuantes prædæ deſiderio, ad rapinas ex acie ſeſe conferunt; quo fit, ut hoſtes irâ fervente concitati, & juſto commoti dolore ſeſe colligant, & obvios quoſ-

quoſque palantes, diſperſos, ac ſpoliis unice intentos impetu facto victores disjiciant, compellantque fugam fœde capeſſere. Alcibiades, cujus fortitudinem ac felicitatem Græcia venerata eſt, cum longâ pace divites inconſultius popularetur agros, à Lacedemoniis oppreſſus eſt, Juſtin. *lib.* 5. *cap.* 5. Roxolanos equites proſpero feroces ſucceſſu, prædæ magis quam pugnæ intentos, & ſarcinarum graves onere, tertia Romanorum legio fugere coëgit, Tacit. *hiſtor. lib.* 1. *cap.* 79. Licinius Craſſus, cum de præda magis Attalica, quam bello ſollicitus eſſet, ab Ariſtonico ſuperatus inſatiabilis avaritiæ pœnas ſanguine dedit, Juſtin. *lib.* 36. *cap.* 4. Occupatâ ſtratagemate bellico Lirâ, cum ante plenam victoriam nimis ardentibus animis ad rapinam ſe milites contuliſſent, ab hoſtibus recuperata fuit, cœſis ac fugatis paulo ante victoribus, Sande *hiſtor. lib.* 2. Præterquam quod in direptionibus avidæ prædantium manus ut plurimum præripere ſoleant fortium bellatorum præmia: dum enim ſtrenui quique milites, nondum penitus everſis inimicorum viribus, adhuc ad obtinendam victoriam admodum in acie laborant, & perrumpere conantur adverſariorum agmina, lixæ plerunque ac calones ad prædam feſtinant, & tuto quaſque perveſtigantes hoſtium domos, tentoria, ac cadavera, quicquid pretioſum eſt, quicquid ipſis arridet, diripiunt, vili & abjectâ ſupellectile iis relictâ, qui præcipuum victoriæ momentum attulerunt, quo fit, ut cum mortuis (ut ita dicam) confligentes plus auferant, quam cum vivis acriter manus conferentes; etiam eorum, qui fortiſſime pugnando laudabili periere fato, nulla habeatur ratio, nullum ex defunctorum fortitudine ad uxores, ad liberos, ad conſanguineos emolumentum perveniat: quæ om-

nia abſurda & iniqua eſſe, proinde nec Duci toleranda, cuique notum eſt. At ex adverſo, cum æqualis inſtituitur interceptæ præda diviſio, nemo lucri ſpe ſeductus aciem ordineſque deſerit; verum conſtans ad certaminis uſque finem præliantium permanebit in agmine, donec omnino fuſos fugatoſque viderit adverſarios: nec quoad prædam ac præmia hic illorum obliteratur memoria, qui in prælio vitæ ſortem dereliquerunt, & ſanguine ac vitâ ſuâ redemerunt victoriam: verùm cæteris potius anteponuntur; ita Ordinum Generalium conſtitutione 10. Martii 1665. ſupra citatâ decretum fuit, ut eorum, qui in acie cecidiſſent, qui ſi in vivis remanſiſſent, prædæ fuiſſent participes, uxores aut liberi è rebus captis duplum acciperent ejus, quod ipſi mortui, ſi ſuperſtites fuiſſent, percepiſſent. Quod quidem de defunctorum habendâ ratione inſtitutum jam olim fuit à Cicerone laudatum *Philipp.* 14. *fere in fine*, cujus verba, quamquam paulo prolixiora, elegantiæ tamen causâ adjungere viſum fuit. *Illud admirabilius*, inquit, *& majus, maximèque proprium Senatus ſapientis eſt, gratâ eorum virtutem memoriâ proſequi, qui pro patriâ vitam profuderunt quorum de honore utinam mihi plura in mentem venirent: duo certè non prætəribo, quæ maxime occurrunt, quorum alterum pertinet ad virorum fortiſſimorum gloriam ſempiternam, alterum ad leniendum mærorem & luctum proximorum. Placet igitur mihi P.C. legionis Martiæ militibus, & eis qui unâ pugnantes occiderunt, monumentum fieri quam ampliſſimum---- atque etiam cenſeo P.C. quæ præmia militibus promiſimus, nos Republicâ liberatâ tributuros, ea vivis victoribuſque cumulatè, cum tempus venerit, perſolvenda: qui autem ex iis, quibus illa promiſſæ*

ſunt,

ſunt, pro patriâ occiderunt, eorum parentibus, liberis, conjugibus, fratribus eadem tribuenda cenſeo--- ut quæ præmia Senatus militibus ante conſtituit, ea ſolvantur eorum, qui hoc bello pro patriâ occiderunt, parentibus, liberis, conjugibus, fratribus: iiſque tribuantur quæ militibus ipſis tribui oporteret, ſi illi vixiſſent, qui morte vicerunt.

23. Hactenus de rebus hoſtium captis: verum quid ſi navigium noſtrum unà cum mercibus per adverſarios interceptum à noſtratibus recipiatur, recuperantibuſne cedet, an vero ad priſtinos poſtliminii jure redibit dominos? communi quondam in Europa gentium conſuetudine fuit introductum, ut ſi res captæ per horas viginti quatuor in hoſtium poteſtate fuiſſent, extincta cenſeretur earum recipiendarum fiducia, ac proinde amiſſa quoque proprietas, ſic ut in univerſum ad recuperantes dominii jure pertinerent: ſin vero intra viginti quatuor horarum ſpatium adverſariis iterum ereptæ fuiſſent, primis eſſent reſtituendæ dominis, qui nondum credebantur penitus illarum amiſiſſe dominium: ita tamen, ut illis, qui res ereptas recepiſſent, in laboris ac periculi remunerationem juſtum non eſſet denegandum præmium vel honorarium, Grotius *de Jur. Bell. ac Pac. lib.* 3. *cap.* 6. *n.* 3. & *cap.* 9. *n.* 16. Ut tamen poſtliminio non indigerent, quæ non ab hoſtibus legitimis ſed à Piratis fuiſſent recuperatæ; cum jus gentium nunquam impiis ejuſmodi quarumcunque rerum direptoribus indulſerit, ut in dominorum præjudicium dominii jura mutare poſſent, arg. *l.* 24. 27. *ff. de captiv. & poſtlimin.* Loccenius *de jure maritimo lib.* 2. *cap.* 4. *n.* 4. Verum cum ex illo jure moribus introducto ſummum quandoque ſequeretur incommodum & injuriarum occaſio, dum nonnulli,

nulli, in quorum erat poteſtate ſocios hoſtilibus eripere faucibus, abominandâ correpti avaritiâ, fraudulenter ſeſe continerent, & ſedato ac tranquillo ſociorum calamitatem intuerentur animo, ut, elapſis viginti quatuor horis, res eaſdem captas recuperantes, illarum fierent pleno jure domini, atque interim ſeſe ſæpius cum præda proriperent inimici; viſum fuit Legiſlatoribus noſtris novâ conſtitutione ſiniſtris hiſce quorundam artibus occurrere, quâ cautum eſt, ut nullâ temporis, quo in hoſtium arbitrio naves captæ fuerint, habitâ ratione, quicunque prædam in mari inimicis iterum eripuerint, omnium illorum, quæ recuperaverint, beſſem percipiant, *Placit. Ordinum General.* 1. *Martii* 1632. *art.* 62. Quod eo tantùm in caſu obtinere cenſet Groenweg. *ad leg.* 2. *ff. de captiv. & poſtlim, reverſ.* ſi nondum in hoſtium præſidia delatum ſit navigium, quod adhuc aliqua tunc ſuperſit recuperandi ſpes; alias deductam intra ſtationes carinam, ac deinde recuperatam, vel ut rem hoſtilem ad occupantes in univerſum pertinere, nec trientem priſtinis reddendum eſſe poſſeſſoribus. Quamvis autem permiſſum omni jure ſit, ad res captas ab hoſtibus recuperandas ipſorum portus naviumque ſtationes armatâ manu intrare, ac velut talionis lege ſuperatâ de novo expugnare & abducere navigia; nefas tamen eſt in ſociorum extra partes conſtitutorum portus irrumpere, ſi forte contigerit, hoſtes eo cum præda ſeceſſiſſe, ne contemni videatur hoc pacto amicorum majeſtas, & violentur ea, quæ jure gentium ſancta ſunt ac inviolabilia, quæque pacis publicæ privilegio gaudent, navium receptacula, uti id ſuccinctè docet Johannes Loccenius *de jure maritimo lib.* 2. *cap.* 4. *n.* 6. *& ſeqq. & lib.* 1. *cap.* 8. *n.* 4. Cæterùm poſt hæc

hæc primâ vice evulgata aliud atque iterum aliud circa naves per hoſtes captas, ac recuperatas, ab Ordinibus Generalibus conſtitutum fuit; quod & à me latius enarratum in *tit. de captivis & poſtlim. reverſis num.* 4. Sed noviſſime placuit iiſdem Ordinibus ea rurſus comprobare, quæ 13. Aprilis anni 1677. definita fuerant; diſtinctione ſcilicet adhibitâ; utrum recuperatio intra quadraginta octo horas, an demum poſtea intra duplicatas horas quadraginta octo ab occupatione computandas, an denique poſt duplicatas quadraginta octo horas quandocunque, facta eſſet; ut primo quidem caſu quinta, ſecundo tertia, ultimo autem dimidia pars recuperantibus qui ſuo ſumtu naves inſtruxerunt, cedat. *Placit. Ordin. General.* 22. *Junii* 1702.

24. Quod ſi navis capta non armatâ quidem manu recepta ſit, ſed à tertio redemta infra juſtum forte pretium, liberum tertio redimenti non eſt, redemtum ſibi reſervare navigium, ſi nondum intra præſidia deductum ſit: verum primo tenetur reſtituere domino illud exigenti; qui tamen doli removebitur exceptione, ſi redimenti nolit perſolutum numerare pretium, licet redimens non ignoraverit, rem captam ad municipem pertinuiſſe, *l.* 6. *l.* 12. §. 7. *de captiv. & poſtlim.* Utiliter enim nihilominus domini geſſit negotia, qui nunquam alias ablatam per hoſtes recepiſſet carinam; Theſaurus *quæſt. Forenſ. lib.* 2. *quæſt.* 98. Unde & ſi res pluribus communis redemta fuerit, & omnium nomine dominorum ei, qui redimit, pretium reddatur, in communionem res redibit. Si vero unius vel quorundam, non autem omnium nomine, redimenti numerata ſit ea, quam in redemptionem impendit, pecunia, ad eos quoque ſolos, quorum nomine ſoluti nummi, res recuperata reverteretur, *l.* 12. §. 13. *ff. de captiv. & poſtlim.*

CAPUT VI.

De privilegiis militum, & aliis quibuſdam præter jus commune quoad milites conſtitutis.

1. *Quæ, & quibus competant militum privilegia?*
2. *Iis non gaudent ſupernumerarii milites.*
3. *Nec qui nomine tenus ſolummodo militant.*
4. *Qui propriis ſumtibus militant, iis jure fruuntur.*
5. *Militi, ſine legitimo hærede morienti, ſuccedit vexillatio.*
6. *Res per alium emtâ militis pecuniâ fit militis, eique per procuratorem actio quæritur.*
7. *Pactum inter milites de futura ſucceſſione validum eſt.*
8. *Militibus expeditionem facientibus hoſpitia præbenda ſunt.*
9. *Juris ignorantia militi non nocet.*
10. *Quæ præcipua ratio ſit cur militi non noceat juris ignorantia?*
11. *Num miles excuſetur, ſi jura noverit, & tamen non obſervaverit?*
12. *Cujus juris ignorantia militi non noceat?*
13. *Abſentia expeditionis causâ militibus non obeſt.*
14. *Miles quomodocunque teſtari poteſt.*
15. *Miles, dum luſtrationi vacat, in jus vocari nequit.*
16. *Quid ſi vocetur dum expeditionem ſuſcipit?*
17. *Miles ad mortem condemnatus ex militari delicto teſtari poteſt.*

18. Gra-

18. *Gratis à medico curandi milites.*
19. *Uxor mariti in expeditione verſantis aut capti reditum moribus expectare tenetur, nec alteri nubere poteſt.*
20. *Milites & veterani propter debitum civile carceri includi nequeunt, & gaudent beneficio competentiæ.*
21. *Adverſus quos debitores competentiæ beneficio tuti ſint?*
22. *Milites & veterani perſonalibus, non autem ordinariis patrimonialibus exemti muneribus.*
23. *Si filii familias ſint, habent caſtrenſe peculium, ejuſque pleno jure Domini ſunt.*
24. *Privilegium proponitur ſolis veteranis proprium.*
25. *Veteranus, qui miſſionis honeſtè teſtimonium amiſit, modo aliter de eâ conſtet, aut præſumtio pro ipſo militet, non privandus eſt privilegiis.*
26. *Poſt miſſionem infamiâ notatus non gaudet veterani privilegiis.*
27. *Milites veterani & ipſorum filii torqueri, aut plebejorum pœnis plecti nequeunt.*
28. *Num hodierni milites iiſdem gaudeant privilegiis?*
29. *Specialia quædam in militibus conſtituta, quæ tamen ipſis non proſunt, enumerantur, veluti quod agrum comparare aut conducere, procuratores, fidejuſſores, accuſatores, tributorum exactores &c. eſſe nequeant.*
30. *Quæ tamen pleraque mutata.*

1. POſt inſignia, quæ modo recenſuimus, fortitudinis præmia, non exiguam in virtutis militaris remuneratione partem conſtituunt, quæ militum contemplatione præter jus commune ſunt intro-

introducta, ac privilegia vocantur: quamvis nonnunquam per privilegia deſignentur conceptæ de ſingulis è populo rogationes, qualis illa de Imperio Cnei Pompei, de reditu Ciceronis, eo quod antiquiores Romani *priva* dicerent, quæ poſtea *ſingula* dicta ſunt, Gellius *Noct. Attic. lib.* 10. *cap.* 20. Ordinatâ autem militiæ causâ privilegia vel ſolos ſpectant milites, vel milites & veteranos vel denique milites, veteranos, & ipſorum liberos.

2. Circa privilegia, quæ non ultra milites ſtipendia de facto merentes extenduntur, inquirendum paucis, quinam iis gaudere poſſint. Supernumerarios utique milites eorum participes eſſe non debere manifeſtum eſt ex *l.* 3. *C. de offic. magiſtri milit. l. fin. C. de apparitor. magiſtri milit.* Quemadmodum enim ſupernumerarius collega, qui ſtatutum excedit collegii numerum, ejuſdem non fruitur prærogativis, *l.* 1. §. 1. *Cod. de Collegiatis, l.* 9. *C. de ſacroſ. Eccleſiis.* §. 15. *inſtit. de excuſ. tutor.* Boër. *deciſ.* 26. *n.* 11. ita pari ratione nec ſupernumerarios militum jura ſingularia ſibi vindicare fas eſt.

3. Multo minus ad illos privilegiorum delabetur emolumentum, qui nomine tenus ſolummodo milites exiſtunt, nec re ipsâ militiæ ſuſtinent incommoda: cum enim dubium nulli ſit, in periculorum & operæ, quam Reipublicæ navant, remunerationem militibus hæc eſſe concesſa; evidens etiam eſt, illos, qui Reipublicæ commodo non invigilant, ab iis arcendos eſſe. Petrus Antibolus *tract. de muneribus* §. 4. *n.* 136. nudum quippe militiæ nomen omni carere debet effectu; nec quicquam juris illud tribuere cuiquam poteſt, quod reverâ nil niſi figmentum eſt: cum non entis regulariter juxta Philoſophos nullæ ſint affectiones,

Niger

Niger Cyriacus *controv. Forenſ.* 201. *n.* 43. & *n.* 98.

4. Quod ſi quis ſtipendia non mereat, ſed gratis belli labores ſubeat & onera, huic nemo jure privilegiorum denegaverit uſum: majori namque favore digni ſunt, & excellentioribus ornandi præmiis, qui non tam lucri ſpe, quam quidem erga patriam amore ſtimulati vitam periculis exponunt, & quaſvis ſuperare conantur belli difficultates, parens ὁ μακαρίτης Paulus Voet *ad princip. inſtit. de Teſtam. milit. n.* 2. Proinde etiam iis ſaltem utentur privilegiis; quibus illi, qui à Republica aluntur & armantur.

5. Jure autem ſingulari conſtitutum eſt, 1. quod militi, abſque teſtamento condito ac hærede legitimo morienti, ſuccedant ab inteſtato vexillationis ejus, in qua ſtipendia fecit, commilitones, *l.* 2. *l.* 3. *C. de hæredib. Decurionum.* Cum de jure communi, non exiſtente ſucceſſore legitimo, Fiſcus univerſam tanquam vacantem occuparet defuncti hæreditatem, *l.* 1. *C. de bonis vacantibus.* Uno tamen caſu Fiſcus, non commilitones, militi ſuccedit, ſi ſcilicet ex militari flagitio condemnatus ad mortem miles aut Centurio abſque teſtamento deceſſerit, *l.* 13. *C. de teſtam. milit.*

6. 2. Cum regulariter ejus, quod ſibi quiſque comparaſſet, licet alienâ pecuniâ, dominus fieret, & nummorum domino nulla competeret ad rem emptam actio emptore invito, ſed tantum ad pecuniam, *l.* 6. *C. de rei vindicatione* Auguſtin. Barboſa *in Collectan.* Brunemannus *ad d. l.* 6. Si tamen militis pecuniâ rem ſuo nomine quis emerit, res militi acquiritur, eique datur utilis illius vindicatio, *l.* 8. *C. de rei vindicatione.* Connan. *lib.* 4. *comment. Jur. Civilis cap.* 17. *n.* 10. Pari ratione mi-

miles, ubi procurator nummos ipſius tertio cuipiam mutuo dederit, acceperitque fidejuſſores, ipſe ſine ceſſione ſuo nomine tam in fidejuſſorem quam principalem debitorem ex mutuo condictionem intentare poterit: *l.* 26. *ff. de rebus creditis:* cum alias de Jure Romano per procuratorem nemini quæreretur actio, niſi illa ceſſa fuiſſet, *l.* 8. §. *fin. ff. mandati.*

7. 3. Certum eſt, invalidum eſſe de futura ſucceſſione pactum, nec eo quemquam obligari, *l.* 15. *C. de pactis.* Sic ut ejuſmodi conventio ne donationis quidem mortis causâ vim habeat aut effectum, *l.* 19. *C. de pactis:* ſed vel ad hæredes anteriore ſcriptos teſtamento devolvantur res hæreditariæ, vel legitimi ſuccedant ab inteſtato jus habentes, ac proinde fruſtra quis eo ſolo nixus, defuncti ſemet immiſceat hæreditati. At ſi pactum ejuſmodi inter ſe milites inierint, quo qui ſupervixerit, alterius rebus potiretur, poſtremi judicii (quod Principalium conſtitutionum prompto favore firmatur) vim obtinebit, *d. l.* 19. Idque non modo ratum erit, ſi milites in procinctu ſtantes & ad prælium parati ſic inter ſe pacti fuerint; ſed & ſi in caſtris illos conventionis tempore fuiſſe probetur, Peregrin. *de Fideicommiſſ. artic.* 51. *n.* 33. Fuſarius *de Subſtitutionibus quæſt.* 308. *n.* 42.

8. 4. Ad hæc, cum jure communi nemo, qui cauponam non exercet, invitus compelli poſſet, ut hoſpitem intra domeſticos reciperet parietes; ſi tamen miles expeditionem cum exercitu pro Republicâ ſuſceperit, ei ubique præſtari debent ab incolis hoſpitia, *tot. tit. C. de metatis & epidemetic.* paucis admodum huic oneri exemtis, quales ſunt Grammatici, Philoſophi, Oratores, Archiatri palatii, Medici, Literarum Magiſtri, Pictores ingenui,

genni, Fabricenſium, Virorum Conſularium domus, *l.* 4. 8. 10. *C. d. tit. l. fin. §. fin. ff. de munerib. & honorib.* In univerſum autem ab hoſpitiis præbendis immunes erant cives Romæ degentes; quod ſi enim Romam milites ab expeditione reverterentur, in muri turribus aſſignabatur ſingulis commorandi locus, *l.* 7. *Cod. de metat. & epidem.*

9. 5. Præterea, cum Principum conſtitutiones ignorare vel diſſimulare nemini impune foret, *l.* 12. *C. de jur. & fact. ignor.* Si nihilominus juris ignorantiâ lapſus miles jure competentem non oppoſuerit exceptionem, condemnatus eam poſt ſententiam poterit objicere, tametſi illius inchoata jam eſſet executio, *l.* 1. *C. de jur. & facti ignor.* Hanneton. *de Ordine Judicior. part.* 2. *cap.* 8. *n.* 15. Cotereus *de Jure & Privil. Milit. lib.* 2. *cap.* 35. Vel ſi commilitonis non adierit hæreditatem, illud ſine veniâ parentis non licere putans, non cedet interim aditionis dies, *l.* 9. §. 1. *C. de jur. & fact. ignor.* Aut ſi vice versâ temerè relictæ ſemet immiſcuerit hæreditati, neglectis ſorte inventarii ſolennitatibus ac ſubtilitatibus, non tamen ultra vires hæreditarias obligabitur defuncti creditoribus, *l. fin. C. de jure deliberandi.* Raguellus *in comment. ad deciſ. Juſtinian. ad d. l. fin. §. fin.* Quin & omiſſa per militem profeſſione rerum, quarum nomine vectigal debetur, non ideo res cadet in commiſſum, eo quod miles juſtâ præſumitur lapſus ignorantiâ, quæ proinde neutiquam eo nocere debet, *l.* 3. *C. de vectigal. & commiſſ.* Ideoque Publicani militibus ultro denunciare tenentur, quantum portorii nomine perſolvendum ſit, quo caſu non jure miles ſolutionem detrectare valet, *d. l.* 3. *C. de vectigal.* Cujus contrarium obtinet in paganis, qui à commiſſi pœnâ non liberantur, licet

licet pro mercibus importatis vectigal eſſe pendendum ignoraverint, *l. 5. 6. ff. de vectigal. & commiſſ.* Eadem de cauſa ſi indebiti condictione miles agat, contra receptam juris formam rejicit in adverſarium onus probandi, pecuniam debitè ſolutam eſſe, *l. 25. §. 1. ff. de probationib.* Quid ſi tamen partem tantum pecuniæ miles aſſerat indebitè ſolutam eſſe, vel debitos quidem jure fuiſſe nummos, verum errore facti lapſum ſe bis idem eâdem de cauſa numeraſſe, vel exceptione tutum eſſe, illud juxta communem juris regulam probare tenetur, *d. l. 25. §. 2.* Inſuper ſi quid in teſtamento miles ſibi adſcripſerit, in pœnam legis Cornel. de falſis non incidit, quia magis juris ignorantiâ quam malitiâ ſibi cenſetur adſcripſiſſe, *l. 5. C. de his qui ſibi adſcripſerunt in teſtam.*

10. Hujus autem privilegii ratio non eſt directo ac per ſe juris ignorantia; hoc enim ſi quis ſtatueret, is præmio pariter decorandum diceret hominis defectum, quod abſurdum: occaſionem quidem aliquam ad hoc decernendum præbuit ſagatorum ignorantia, quippe qui ſimplicitate gaudent, *d. l. 25. ff. de probation.* ac arma magis quam jura ſcire tenentur. *l. fin. in princip. C. de jure deliberandi.* Sed præcipua cauſa eſt, quod armis ſolis incumbentes, peritiores in caſtris conſulere non poſſint, *l. 10. ff. de bonor. poſſeſſionibus.* Neque cuiquam leges hanc imponant neceſſitatem, ut ipſe per ſe callere jura teneatur. Quamobrem ſi miles eo loci degat, ubi juriſperitorum copia eſt, neque armis admodum occupatus ſit, non juris ignorantiâ, ſed negligentiâ potius quicquid agendum erat, omiſiſſe cenſebitur. Radelant. *Deciſ. Cur. Ultraject. deciſ.* 80. *n.* 3.

11. Verum quid ſi miles jura noviſſet (evenire nam-

namque poteſt, ut quis legum doctor relictâ togatâ ad armatam ſeſe conferat militiam) nec tamen in procinctu ſtans ad amuſſim ea ſervaſſet, ideone ceſſabit in ipſo hoc noſtrum militare privilegium? Affirmat illud Acacius Enenkel. *de Privileg. milit. lib. 2. n. 20.* Sed rectius opinionis negantis ſuſcipiendam eſſe defenſionem puto, cum Wilhelm. Ludwell. *ad Princip. Inſtit. de Teſtam. milit. n. 1. arg. l. fin. ff. de teſtam. milit.* Quid enim? pœnam ne merebitur eruditio? & damnoſa cuiquam erit divinarum atque humanarum rerum ſcientia? anne conceſſa militibus privilegia propter peritiam ipſis adimentur, & caſſa erunt ac fruſtranea? abſit. At, inquies, ſcire leges potuit, adeoque ſuâ culpâ lapſus eſt, imputet proinde ſibi, quod non diligentius obtemperaverit legum conſtitutionibus. Reſpond. non ſufficit, quod miles ſcire leges potuerit; quippe, ut inquit Andr. Gail. *lib. 2. obſervat.* 118. *n.* 7. cauſa finalis, cur milites à ſtrictâ juris obſervatione liberentur, eſt ipſa expeditionum neceſſitas & armorum cultus, ac ceſſante demum illâ causâ finali, ceſſat privilegium, non item ceſſante ſolâ imperitiâ; proinde præter ſcientiam & idoneum requiritur tempus atque locus, ubi ſecundum illas quicquid agendum eſt apte miles poſſit dirigere: aſt cum in procinctu ſtat, tempus & occaſio religioſam illam & anxiam non fert juris civilis obſervationem, nec legum perpendere ſubtilitates, aut à jure præſcriptas examinare regulas, ſed de ſolis armis ac victoriâ ſtrenuus in bello miles in acie ſtans cogitare tenetur; ut ſolis armis vacaret, non privatis occuparetur negotiis, diſertis verbis reſcripſit Imperator, *l.* 31. *C. locati.* p. m. Parens Paulus Voet *in comment. ad princip. inſtit. de teſtam. milit. n.* 4. Manzius *ad* §. *fin. in fine n.* 13. *inſtit. de teſtam. milit.*

12. Cum autem Principum conſtitutiones non ſolo conſtent jure civili, ſed & ex naturæ ac communibus omnium aut utique moratiorum gentium legibus conflatæ ſint, §. 4. *inſtit. l.* 1. §. 2. *ff. de juſtitiâ & jure.* Temerarium foret, ſi quis aſſereret, omnium, quæ ſubjectis injunxit legiſlatoris autoritas, juſtam à militibus ignorantiam opponi poſſe. Sic itaque ſtatuendum cenſeo, ut, ſi miles adverſus leges mere civiles, circa ejuſmodi quid præcipientes negotia, quorum intuitu nihil vel naturæ vel gentium diſpoſuere jura, inſcitiâ lapſus commiſerit, excuſationem mereatur, & hactenus extendatur militare privilegium. Quod ſi vero tale quid admiſerit, quod improbant moratiores plerique populi, quodve injuſtum eſſe ipſius naturæ dictat inſtinctus, veniâ indignus ſit, cum gravis nimium præſumtio militet adverſus allegatam his in caſibus ignorantiam: ideoque nec ſagatus à quinquaginta aureorum pœnâ liber erit, ſi parentem ſine veniâ prætoris in jus vocaverit, quia naturæ gentiumque jure parentibus præſtanda reverentia, *l.* 2. *ff. de juſtit. & jure l.* 2. *C. de in jus vocando.* Multo minus excuſabitur delinquens; in tantum ut durius potius ac atrocius ei infligatur ſupplicium: nullus enim ignorare poteſt, pœnas illico ſequi delicta, nulloque jure crimen in peccantibus impunitum manere.

13. 6. Illud etiam militum favore præter ordinarias juris regulas eſt introductum, quod per ea tempora, quibus in expeditione verſantur, non currat adverſus ipſos longi temporis præſcriptio, *l.* 3. *C. de reſtitut. milit. & eor. qui Reip. cauſ. abſunt. l. fin. C. quibus non objicit. long. temp. præſcript.* uti nec tempus illud, quo in integrum reſtitutio foret impetranda, *l. fin. C. de reſtitut. milit. & eor. qui*

Rei-

Reipubl. cauſ. abſunt. Brunemann. *ad d. l. fin.* Bocerus *tractat. de bello cap.* 16. *in fin.* Dum enim in expeditione ſunt, nec à ſignis ſine periculo poſſunt diſcedere, Reipublicæ causâ abeſſe cenſentur, *l.* 7. *l.* 45. *ff. ex quib. cauſ. majores &c.* Unde & ſi quid de bonis eorum diminutum fuerit, vel actione aliquâ ipſis competente debitor ſit liberatus, in integrum reſtituuntur, *l.* 2. *C. de reſtitut. milit.* Quinimo nec propter debitum civile ipſorum bona ſubhaſtari queunt, ſi ſine dolo Reipublicæ causâ abſentes arbitratu boni viri non defendantur; ſed ex judicatu causâ poſſeſſione creditori conceſsâ, in id tempus differenda venditio, quo abeſſe Reipublicæ gratiâ deſierint, *l.* 4. *C. de reſtitut. milit.* Quod ſi defuncti creditoris hæredes illa bona, quorum poſſeſſio creditori fuerat indulta, diſtraxerint, reſciſsâ venditione militi, oblato debito vel pretio, per in integrum reſtitutionem ſuccurritur, *l.* 6. *C. eod. tit.* Ajala *de jure & offic. bell. lib.* 3. *cap.* 7. *n.* 4. Cæterùm perpetuum non eſt in integrum reſtitutionem petendi tempus; verum ſi intra annum utilem à reditu miles eam non impetraverit, fruſtra poſtea ſe reſtitui deſiderabit, *d. l.* 2. *C. de reſtitut. milit.* Quin tamen jure noviſſimo poſſit intra quadriennium continuum à Prætore poſtulare extraordinarium reſtitutionis remedium, dubium non eſt; cum in omnibus reſtitutionibus anno utili quadriennium ſucceſſerit continuum, *l. fin. C. de tempor. in integ. reſtitut.*

14. 7. Non exigui quoque momenti res eſt, quod miles, dum in expeditione verſatur, quocunque modo, etiam teſtibus non adhibitis, ultimum condere poſſit elogium, ſi modo de ſupremâ ipſius voluntate conſtet, *tot. tit. inſtit. ff. de C. teſtam. milit.* cum ad pagani teſtamentum multa requiren-

tur ſolemnia, ſeptem teſtes, ſpecialiter ad hoc rogati, eorum ſubſcriptio, ſubſignatio, & alia, de quibus, *tit. inſtit. ff. & C. de teſtamentis ordinandis.* Ne autem in ampliſſimam me diffundam de teſtamentis materiam ad ea enumeranda, quæ jure ſingulari militiæ contemplatione circa ordinandas ſupremas militum voluntates conſtituta ſunt, veluti, quod miles filium ſuum præterire, parentes exhæredare impune poſſit, pro parte teſtatus, pro parte inteſtatus, aut pluribus relictis teſtamentis decedere; liberis ſubſtituere, licet nullum ſibi fecerit teſtamentum: ex certo tempore, ad certum tempus aliquem hæredem ſcribere; & alia multa; conſuli poterunt hac de re latiſſimè tractantes, Bocerus *de bello à cap.* 19. *uſque ad cap.* 24. Coteræus *de jure & privileg. milit. lib.* 2. *à cap.* 12. *ad cap.* 22. Acacius Enenkel *de privileg. milit. lib.* 2. *privil.* 16. p. m. Parens Paulus Voet *in comment. ad tit. inſtit. de teſtam. milit.*

15. 8. His adde, quod miles, dum luſtrationi vacat, à creditoribus propter debitum civile nequeat in jus vocari, *l.* 2. *ff. de in jus vocan.* Ulpianus inquit, eum, qui equo publico in cauſa publica tranſvehitur, in jus vocari non poſſe, ne ſcilicet inde Reſpublica quid detrimenti caperet: ſolebant enim equites idibus quintilibus in capitolium tranſvehi, ut ita cognoſci ac probari poſſent ordines equeſtres; ideoque in *d. l.* 2. pro *in cauſâ publicâ* legendum eſſe *in capitolium*, & ex notarum ſimilitudine, quibus olim hæc duo deſignabantur, lapſum fuiſſe Tribonianum exiſtimat Revardus, *Varior. lib.* 2. *cap.* 15. ubi multis de hoc tranſvehendi modo diſputat.

16. An autem & in eo, qui pro Republicâ ſuſcepit expeditionem, *d. lex.* 2. *ff. de in jus vocando* locum

locum habeat, quæri poſſet? Eum quidem, ſi violentum illum apud veteres, ad tribunal Prætoris reum rapiendi ex lege 12. tabularum morem ſpectemus, quo volens nolens obtorto collo in jus trahebatur (ita enim ibi cautum reperitur; *ſi calvitur, pedemve ſtruit manum endojacito*) in jus vocari non poſſe cenſeo; cum ſic æque grave, non majus, Reſpublica ſentiat incommodum, quam ſi à luſtratione miles in jus raperetur. Verbalem verò quod attinet in jus vocationem, ea quin legibus permiſſa ſit, nullus dubito: neque enim à militiæ muneribus hoc pacto miles avocatur; ſi namque judicio ſeſe non ſtiterit, condemnatur quidem, ſed juſtam producens abſentiæ cauſam reſtituitur. Neque quicquam hiſce obſtat, quod teſtimonii perhibendi gratiâ nequeat à ſignis vel muneribus diſtrahi miles, *l.* 3. §. *fin. ff. de teſtibus.* Aut ſi in eodem loco, ubi una cum cohorte vel legione commoratur, ad afferendam veritatem fuerit invitatus, invitus tamen compelli non poſſit ut teſtimonium dicat, *l.* 8. *ff. eod. tit.* unde ſequi videretur, multo minus militem verbaliter in jus vocari poſſe. Non, inquam, obſtat; cum enim ad veritatis fidem adſtruendam miles adhibetur, de neceſſitate ſiſtere ſe coram judice tenetur, ut ad interrogata reſpondeat, adeoque non minus militaria per id tempus intermittuntur negotia, & ab armis miles avocatur, quam ſi realiter injectâ manu in jus vocatus eſſet. Illud autem, ut jam dixi, ceſſat in eo, qui verbaliter tantum ad tribunal judicis vocatus eſt.

17. 9. Inſuper ſpeciali jure circa milites ſtatutum, ut ſi ex delicto militari, quod fidem ruptam non continet, ad ultimum fuerint damnati ſupplicium, ſuper bonis caſtrenſibus iis permittatur jure militari teſtamentum condere, *l.* 6. §. 6. *ff. de in-*

juſt. rupt. irrito &c. & l. 13. *C. de teſtament. milit. l.* 11. *ff. eod. tit.* p. m. Parens Paulus Voet ad §. 5. *inſtit. de teſtament. milit.* cum alioquin Pagani gladio vel alteri, quæ vitam adimit, addicti pœnæ teſtari nequeant, aut, ſi de bonis ante reatum diſpoſuerint, latâ mortis ſententiâ rumpatur ilico atque irritetur eorum ultima voluntas: per ſententiam namque pœnæ ſervi fiunt, quibus ademptum eſt omne liberum circa res ſuas arbitrium, *d. l. 6.* §. 6.

18. 10. Quin & hoc inter militum prærogativas jure quis retulerit, quod ex Aureliani Cæſaris edicto miles ægrotans, aut ex vulnere decumbens, gratis à Medico curari debeat, Flavius Vopiſcus *in Aureliani vita.* Quæ conſuetudo & olim penes Ægyptios invaluerat: ibi enim medici publicis victabant impenſis, eaque de cauſa, prohibitâ ſalarii exactione, milites morbo laborantes ſanare cogebantur, Diodor. Sicul. *hiſtor. lib.* 2. Durum quippe, iniquum, & à crudelitate vix remotum fore cenſuerunt Legiſlatores, præter ægritudinis incommoda, graveſque vulnerum dolores, inſuper ad perſolvendas medicis pro opera præſtita mercedes obligari ſagatos, quorum univerſos norunt in Reipublicæ utilitatem redundare labores, Julius Ferretus *de re milit. pag.* 50. *num.* 41.

19. 11. Eximium denique militum privilegium eſt, quod mulier mariti in expeditione verſantis teneatur expectare reditum, nec ad ſecundas ei concedatur provolare nuptias ac conjugii fœdera, niſi de mariti morte jurato deponant illius numeri chartularii, in quo militavit: inter quorum teſtimonium ac ſecunda vota nihilominus anni debet intercedere ſpatium. Quod ſi mulier hæc non obſervaverit, ipſa & ſecundus maritus adulterii plectendi ſup-

ſupplicio, *Novell.* 117. *cap.* 11. At ſi primus ab hoſtibus captus ſit maritus, reverſus uxorem poſtliminii jure non recuperat, niſi & mulier voluerit, & adhuc alteri poſt conſtitutum tempus nupta non ſit, *l.* 8. *ff. de captivis & poſtlimin.* adeo ut de novo contractum videatur conjugium, vel potius matrimonium conſenſu redintegretur, *l.* 14. §. 1. *ff. de captiv. poſtlimin.* Quod tamen Juſtinianæo jure quodammodo mutatum eſt, *Novell.* 22. *cap.* 7. quâ conſtitutum, ut quamdiu quidem manifeſtum eſt captivum ſupereſſe, maneant integra & inviolata matrimonii jura, nec impune liceat mulieri ad ſecundas aſpirare nuptias; quæ ſi nihilominus auſu temerario videri voluerit hoc egiſſe, dotis amiſſione plectetur. Si vero dubium ſit, utrum is, qui in hoſtium devenit poteſtatem, etiamnum ſuperſit; poſt quinquennii ſpatium ſine periculo nubere licebit, *d. Nov.* 22. *c.* 7. At id hodie in militibus ab hoſte captis non ita obtinet: captivus enim, qui credebatur obiiſſe diem, ſi poſt longum tempus reverſus uxorem invenerit alteri connubii nexu ſociatam, eam ſibi vindicare poterit, diſſolutis ſecundi thori vinculis; uti in Belgio Fœderato judicatum fuiſſe refert Reidanus Annal. lib. 18. *Bommelianus*, inquit, *ante annos viginti duo captus, gravidam uxorem reliquerat, ex quâ filiam nunc maritam & conjugem ſuam alteri nuptam repperit, quæ ſecundum deſerere maritum compulſa.* Idque juri divino magis conveniens eſt, juxta quod nullæ ſunt diſſolvendi matrimonii cauſæ legitimæ, ſi non adulterium & malitioſa conjugis alterius deſertio, 1. *Corinthios cap.* 7. *verſ.* 13. quæ de captivo quam captivo non præſumuntur.

20. Communia veteranis ac militibus privilegia ſunt 1. quod ſi debitum contraxerint, à creditori-

bus ad conſequendum debitum carceri mancipari nequeant, aut univerſum ipſis auferri patrimonium, verum condemnati gaudeant competentiæ beneficio, *l.* 7. *ff. de caſtrenſ. pecul. l.* 6. *l.* 18. *ff. de re judicata.* Menoch. *arbitrar. judic. lib.* 1. *quæſt.* 88. *n.* 9. Bocerus *tract. de bello cap.* 16. *n.* 5. Quod quoad fœnoris exactionem etiam juſtum & æquum crediderunt olim Ægyptii, teſte Diodoro Siculo hiſtor. lib. 1. *abſurdum enim eſſe cenſebant*, inquit, *militem, qui pro patria ſe periculis objiciat, propter fœnus à creditore, ſi ita contigerit, in nervum abduci, & ob privatorum avaritiam communem omnium ſalutem in diſcrimen venire.*

21. Cæterùm extra controverſiam poſitum eſt, illud competentiæ beneficium militibus ac veteranis non eſſe denegandum, ſi propter debitum ab actore conveniantur in re lautâ conſtituto. Sed quid ſi paupertinus quis omnium egenus adverſus eum impetraverit à judice ſententiam, eone in caſu miles condemnatus tantum bonorum retinebit, ne egeat? Negandum illud omnino videtur; cum iniquum ſit & inhumanum, res mihi debitas, dum omnium inopiâ laboro, & ſummâ premor egeſtate, juſti debitoris inſervire commodo, & ingenti meo cum detrimento alium lucrari bonâ fide creditum, *argum. l.* 6. *de ſervitut. & aqua.* Zoeſius *ad tit. ff. de re judicata. n.* 156. Præſertim cum juris regula dictet, melius eſſe rebus in obſcuris favere repetitioni quam adventitio lucro, *l.* 41. §. 1. *ff. de Reg. Juris.* Quid ſi militem miles convenerit, condemnatuſne contra commilitonem competentiæ fruetur beneficio? verior eſt negantium ſententia juxta vulgatiſſimum illud juris axioma, quod privilegiatum adverſus æquè privilegiatum ſuo non uti poſſe privilegio dictat. *l.* 8. *ff. de excuſat. tutor.*

tutor. Sande *deciſ. Friſic. lib.* 1. *tit.* 1. *definit.* 2. Præſertim ſi is, qui privilegio tutus eſſe deſiderat, agat de lucro captando adverſus eum, qui de damno evitando contendit, uti hoc noſtro caſu, Auguſtin. Barboſa *axiomat. jur. uſufriquent* 190. *n.* 1, 2. *ibique DD.* Zoeſius *ad tit. ff. ſolut. matrim. n.* 25.

22. 2. Cum triplicium in jure noſtro munerum fiat quandoque mentio, quorum quædam perſonalia ſunt, quæ ſolam perſonæ requirunt induſtriam; quædam patrimonialia, quæ bonorum deſiderant collationem; quædam denique mixta, in quibus & induſtria perſonæ & impenſæ pariter exiguntur) certum eſt, neque militem, neque veteranum ad ſubeunda munera perſonalia compelli poſſe, *l. fin.* §. 1. *ff. de veteran. l.* 3. *C. de his qui non implet. ſtipend. l.* 8. *ff. de excuſat. tutor. l.* 9. *C. quando provoc. non eſt neceſſe l.* 1. *C. de veteranis.* Bocerus *d. tract. de bello cap.* 16. *n.* 9. Nec amittit veteranus immunitatis jura, ſi ſuâ voluntate munus ſuſceperit; verùm nihilominus in aliis privilegium & excuſationes allegare valet, *l.* 2. *ff. de veteranis.* Solis tamen veteranis immunitas hæc propriè privilegii loco eſt, at militibus, qui etiamnum ſtipendia merent, ea ſic competit, ut ne volentes quidem admittantur ad ſubeunda munera perſonalia, ſeu, quemadmodum alibi Imperator inquit, ut ambientibus claudatur ingreſſus, & invitis neceſſitas auferatur. Proinde ad tutelæ munus miles non admittitur, §. 12. *inſtit. de excuſ. tutor.* Patrimonialia quod ſpectat munera, ab iis regulariter immunes non ſunt veterani, *l.* 2. 4. *ff. de veteranis*, adeoque naves eorum angariari poſſunt, *d. l.* 4. §. 1. & octavas vectigalium nomine pendere coguntur, *l.* 7. *C. de vectigal. & commiſſ.* Martin.

Laudenſ. *tract. de milite quæſt.* 10. Nec obſtat *l.* 1. *C. de veteranis*, ubi Conſtantinus Imperator omnibus civilibus videtur veteranos exemiſſe muneribus, *ne quis*, inquit, *eorum* (ſc. veteranorum) *in nullo munere civili, nec in operibus publicis conveniatur, nec ullâ collatione, nec à Magiſtratibus, nec vectigalibus, in quibuſcunque nundinis interfuerint, nullam ob venditionem proponendam dare debebunt.* Hic enim Conſtantinum munerum civilium appellatione tantum perſonalia deſignare voluiſſe munera conſtat, ita quippe in eadem *l.* 1. ſe paulo poſt explicat, cum ait; *ſed etiam nullo munere civili, id eſt corporali ſeu perſonali, vel deportatorio onere eos affici concedimus.* Tributum autem illud, quod ob venditionem proponendam ab iis Imperator exigi vetat, extraordinarium erat patrimoniale munus, & venalitium appellabatur, *l.* 4. *C. de proximis ſacror. ſcrinior.* ubi Gothofredus in notis inquit, venalitium eſſe vectigal, quod exigebatur à venditore ob venditionem proponendam, ac propter ſervos venales pendebatur: unde & venalitios & venalitiarios dictos fuiſſe Mangones, qui mancipia Romæ vendere ſolebant, ex Cicerone & Suetonio probat Cujacius *obſervat. lib.* 10. *cap.* 6. Militiæ itaque labore conquiſita veteranis dignitas extraordinarium quidem munus ignorat: firmum tamen permanet, ab ordinariis patrimonialibus eam immunem non eſſe, exceptâ capitatione, *l. fin.* §. 20. *ff. de muneribus*, & paucis forte aliis mixtis, Acacius Enenkel *de privil. veter. priv.* 1. *& de privil. milit. lib.* 2. *privil.* 30.

23. 3. Cum olim filii-fam. & ſervi pariter in eadem eſſent conditione quoad bonorum acquiſitionem, adeo ut quicquid acquirerent, id illico patri vel domino cederet, acne momento quidem in filii-

fam.

fam. vel ſervi perſonâ conſiſtere poſſet acquiſitum, §. 1. *inſtitut. per quas perſon. cuique acquiritur*, *l.* 79. *ff. de acquir. vel omit. heredit.* Si tamen filius-fam. nomen militiæ dederit, ipſi caſtrenſe conceſſum legibus eſt peculium, quod etiam veteranus factus poſt emerita ſtipendia retinet, nec jus ullum in illo patri quæritur vi patriæ poteſtatis, §. 1. *inſtit. per quas perſon. cuique acquirit. l.* 10. *l.* 12. *ff. de caſtrenſ. peculio. l.* 3. *Cod. eod. tit. l. fin. C. de inoffic. teſtament.* Illius enim peculii contemplatione pro patre-fam. habetur, *l.* 2. *ff. Senatuſconſult. Macedon.* unde & Juvenalis ſatyrâ ult. ait.

Solis præterea teſtandi militibus ejus,
Vivo patre datur, nam quæ ſunt parta labore
Militiæ placuit non eſſe in corpore cenſus.

Caſtrenſi autem peculio non præda tantum ac ſtipendium comprehenditur, ſed illud omne, quod armatâ malitiâ, vel ejus occaſione miles acquiſivit, quodque, ſi non militaſſet, nunquam ad eum fuiſſet devolutum, *l.* 6. *l.* 11. *ff. de caſtrenſ. pecul.* Bocer. *tract. de bello cap.* 16. *n.* 17. p. m. Parens Paulus Voet *ad* §. 1. *inſtit. per quas perſon. acquirit.* Proinde & hereditas militiæ intuitu delata militi, caſtrenſi peculio annumerabitur, *l.* 5. *l.* 16. §. 1. *ff. de caſtrenſ. pecul.* quodque mulier mariti filio militi reliquit ad caſtrenſes ſeu militares res comparandas, *l.* 3. *ff. eod. tit.* illud inſuper, quod patre concedente filius-fam. miles ſecum in caſtra tulit. *l.* 4. *d. tit.* omnia denique mobilia, quæ militi in caſtra tendenti à patre, matre, propinquis vel amicis donata ſunt, *l.* 1. *C. de pecul. caſtrenſ. milit.* Cæterùm, ut hæc omnia filio-fam. militi pleno jure quæruntur, ita etiam quocunque modo, vel actu inter vivos, vel ultimâ voluntate citra parentis conſenſum in alium ea transferre poteſt, *l.* 2.

C.

C. de caſtrenſ. pecul. l. 7. §. *fin. ff. de donationibus. l.* 11. *ff. de teſtament. milit. princip. inſtit. quib. non eſt permiſſ. facere teſtam.* Et hinc inter patrem & filium ejus reſpectu quandoque lis eſt, *l.* 4. *ff. de judiciis*, patremque filius in jus vocare non prohibetur, impetratâ prius agendi veniâ, *l.* 4. §. 1. *ff. de in jus vocando.* Et ſubſiſtit ac effectum ſortitur inter patrem & filium-fam. donatio, *l.* 4. *ff. de caſtrenſ. pecul. l.* 4. *C. Famil. Erciſcundæ.* Quin & contra communes juris conſtitutiones ad caſtra tendenti marito validè donat uxor, *l.* 6. *ff. de caſtren. peculio.* Si modo ficta non ſit ad eludendas leges caſtrorum cauſa: veritatem enim ſpectamus, inquit Ulpianus, an vera caſtrenſis notitia vel affectio fuit, non quod quis finxit, *l.* 8. *eod. tit.* Illius quoque nomine filius-fam. citra partis conſenſum adverſus tertium actionem inſtituere poteſt, *l.* 4. §. 1. *ff. l.* 2. *C. de caſtrenſ. peculio.* Denique defuncto patre filius peculium caſtrenſe fratribus conferre non tenetur in dividenda patris hereditate, idque præcipuum eſſe oportere, multis conſtitutionibus continetur, *l.* 1. §. 15. *ff. de collatione l.* 4. *C. Famil. Erciſcundæ.*

24. Atque hæc veteranis ac militibus communia ſunt privilegia: ſolis inſuper veteranis datum, ut Præſidibus ultra portas occurrere non cogantur, habitent ubi voluerint, ad curias ad collegia non vocentur inviti, nec deſcriptiones præbeant conſuetudinum vel ſpectaculorum nomine, unam domum habeant liberam ab omni recipiendorum militum ſupervenientium onere, *l.* 1. *C. quib. muner. excuſ. qui poſt implet. milit. &c.*

25. Utrum autem privilegiorum veteranis indultorum particeps futurus ſit qui caſu vel negligentiâ militare miſſionis amiſit teſtimonium, diſquiri

quiri ſolet? Quod affirmandum cenſeo, ſi modo per teſtes aliaſque probationes ſatis evidentes conſtare poſſit, honeſtè ſtipendiis emeritis eum ſacramento ſolutum fuiſſe; cum ſufficiat, ut qualicunque modo de miſſione conſtet, *l.* 7. *C. de fide inſtrumentor.* Quid ſi nec aliæ ſufficientes ſuppetant miſſionis probationes, & tamen is, qui honeſtè ſe miſſum aſſerit, aliquamdiu palam veteranorum uſurpaverit prærogativas? Etiam in poſterum iis uti non prohibebitur, donec eum veteranum non eſſe probatum fuerit: ea namque quaſi poſſeſſio efficit, ſatis magnam pro eo, qui veteranum ſe dicit, militare præſumtionem, ut à probationis liberetur onere, illudque in adverſarium rejiciat, Tiraquell. *de jure primogenit. quæſt.* 17. *opin.* 11. *n.* 21.

26. Quid ſi verſâ vice de honeſta miſſione clarè liqueat, ſed miſſo poſtmodum ex aliquo delicto communi irrogata fuerit ignominiæ macula, illene veteranorum gaudebit privilegiis? Negandum id videtur; cum infamis ne miles quidem eſſe poſſit, proinde nec veteranus: quâ enim obſecro ratione militaribus fruetur prærogativis, qui ab obeundâ militiâ ſic remotus eſt, ut nec volens admittatur? eum in caſum veterani infamiâ notati negotium incidit, à quo incipere non poteſt, unde & amittit veterani jura, *arg. l.* 16. *ff. ad leg. Aquil.* Petrus Antibolus *tract. de munerib.* §. 4. *n.* 59.

27. Tandem ad milites, veteranos, & ipſorum liberos ſpectans privilegium eſt, quod per torturam nequeat ab iis inquiri facti veritas, quodque plebejorum pœnis ſubjugari non poſſint in cauſis criminalibus: neque enim in metallum, aut ad opus publicum, aut ad beſtias damnantur, nec furcæ metuunt ſupplicium, *l.* 8. *C. de quæſtion.*

l. 3.

l. 3. §. 10. *ff. de re milit. l.* 1. *l.* 3. *ff. de veteranis.* Clarus *lib.* 5. *ſentent.* §. *fin. quæſt.* 64. *n.* 18. Franciſc. Brunus, *de tortura part.* 2. *quæſt.* 4. *n.* 19. Fruſtra tamen ultra filios quiſpiam illud ad nepotes extenderit; cum in ſolis eminentiſſimorum ac perfectiſſimorum virorum nepotibus & pro nepotibus locum habeat, ſi prioris gradus liberos, per quos id privilegium ad ulteriorem gradum tranſgreditur, nulla violati pudoris macula aſpergat, *l.* 11. *C. de quæſtion.* Acacius Enenkel *de Privil. Milit. lib.* 2. *privil.* 27. *n.* 3.

28. Diſputant autem plerique juris interpretes num & noſtri temporis militibus eadem tribuenda ſint privilegia, quæ quondam Romanis conceſſa civibus, expeditionem pro Republica ſuſcipientibus? quod utique ſimpliciter affirmari nequit; cum à quibuſdam Romanorum legibus, quæ contrariâ ſunt antiquatæ conſuetudine vel lege, receſſum eſſe teſtetur Chriſtinæus, *tom.* 5. *deciſ.* 149. *n.* 53. Atque ita milites hodiernos quæſtionibus ac torturis non eximendos, ſi ad illas adhibendas in inquirenda veritate ſufficientia facti reperiantur indicia, autores ſunt Farinacius *tract. de indiciis & tortur. libri* 1. *tit.* 5. *quæſt.* 39. *n.* 31. *& ſeqq.* Jul. Clarus *ſentent. lib.* 5. §. *fin. quæſt.* 64. *n.* 18. Anton. Mathæus *tract. de crimin. lib.* 48. *tit.* 16. *cap.* 2. *n.* 7. Wiſſenbach *ad Pandect. diſput.* 37. *n.* 6. Groenwegen *de Leg. Abrog. ad l.* 8. *C. de quæſtionibus.* Sublato etiam moribus peculiorum uſu ac diſtinctione, ceſſant & quæ quondam militibus competebant inde promanantes prærogativæ. Allegationes inſuper ſimplicitate juris omiſſas à militibus poſt condemnationem hodie proponi poſſe negat Groenwegen *de Leg. Abrogat. ad l.* 1. *C. de jur. & facti ignorant.* eaſque defenſiones omiſſas in appella-

pellationis cauſas producere debere cenſet: in appellatione namque novas probationes & allegationes, coram judicibus inferioribus non ventilatas, adhiberi poſſe, manifeſti juris eſt. Quod ſi tamen militis imperitiâ elapſa fuerint appellationis fatalia, ſic ut appellandi remedium ipſi ſit interclusum, nullus dubito, quin facilius ſagatus, quam quidem alii, adverſus lapſum fatalium impetraturus ſit in integrum reſtitutionem. Præterea res militum, quarum nomine neglecta vectigalium ſolutio, in commiſſum hodierno jure cadere, docet Antonius Matthæus *tractat. de auction. lib.* 2. *cap.* 7. *n.* 32. Aſt in ejus locum luculentius aliud ac pinguius ſurrogatum eſt privilegium? neque enim (ut ibid. inquit Anton. Matthæus) in expeditione degentes publicanum metuunt, quem leges militares omninò caſtris exegerunt; & eorum, quæ in caſtris venduntur, nullum ſolvitur vectigal: quod tamen non ante locum habebit, quam Ordinum Generalium decreto publico promulgata fuerit vectigalium immunitas ad exercitum proficiſcentibus ac omnigenas eo merces deferentibus; quod Belgis eſt VRY LEGER UYTROEPEN.

Reliqua pleraque quod ſpectat privilegia, ea quoque moribus ad hodiernos in expeditione pro Republica verſantes pertinere milites aſſerunt, Martin. Laudenſis *tract. de milite quæſt.* 5. Andr. Gail. *lib.* 2. *obſerv.* 118. *n.* 2. 3. Auguſtin. Barboſa *in collectan. ad l.* 31. *C. de locato n.* 6. Gudelin. *de jure noviſſimo lib.* 5. *cap.* 21. Zoeſius *ad tit. ff. de re militari n.* 7. Brunemann. *ad l.* 1. *C. de jur. & facti ignorant.* Eædem enim pro militibus hodiernis militant rationes, quæ quondam ad privilegia concedenda Romanos ſtimularunt; æqualia noſtri ſubeunt pericula, nec minus Reipublicæ prodeſſe ſatagunt:

tagunt: ideoque quoad teſtamenti factionem in expeditionibus non admodum præciſe ſolent obſervari juris ſolennitates, Bocerus *de bello cap.* 26. p.m. Parens *ad* §. 6. *inſtit. de teſtament. milit. n.* 3. nec condemnati milites ultra quam facere poſſunt tenentur, competentiæ gaudentes beneficio, Groenwegen *ad l.* 6. *ff. de re judicata.*

29. Vidimus hactenus, quænam militum ſint privilegia; ſuperſunt alia quædam præter jus commune quidem in militibus conſtituta, quæ nullum tamen iis commodum adferunt aut emolumentum, proinde nec proprie privilegii veniunt appellatione: veluti quod uxorem vel familiam ſecum in exercitum ducere prohibeatur, niſi ad id à Principe veniam impetraverit, *l.* 10. *C. de re milit.* nec cum illius Provinciæ muliere nuptias contrahere poſſit, in qua ſtipendia meret, niſi forte militet in patria, *l.* 65. *ff. de ritu nuptiarum*, nec cum alia quam cum ingenua matrimonium inire, *l.* 21. *C. de nuptiis.* Agrum quoque comparare vel ſuo vel alieno nomine nequit in ea Provincia, in qua bellicis inſudat laboribus, antequam ſtipendia impleverit; & in Fiſcum redigetur acquiſitum hoc pacto prædium; niſi forte paterni à Fiſco diſtraherentur agri: ne ſcilicet agriculturæ ſtudio à militiâ avocetur, & omiſſo armorum uſu ad ignobile & ſordidum opus ruſticum ſe conferat: quæ ratio cum ceſſet in urbanis prædiis & agris in alia ſitis Provincia, tuto quoque ſibi illos acquiret, *l.* 9. *l.* 13. *ff. de re milit. l.* 15. *C. eod. tit.* Quod ſi tamen à Provinciali quopiam heres ſcriptus fuerit miles, ibi prædia poſſidere non prohibetur, *d. l.* 9. §. 1. cum hereditatis delatæ ratione quandoque nonnulla permittantur, quæ alias illicita forent, *l.* 1. §. 12. *ff. ad leg. Cornel. de falſis*, eo quod ulti-

ultimæ voluntates ſunt favorabiles, & Reipublicæ intereſt, effectum ſortiri ſuprema morientium elogia. Quin etiam, ſi, dum ſtipendia meret, agrum in eadem emerit Provincia, neque tamen ideo mota ei à quoquam fuerit controverſia, poſt impleta ſtipendia nec res empta deferri, nec dominus inquietari poteſt, *d. l.* 9. *l.* 13. *ff. de re milit.*

Sicut autem agrorum emtio is eſt interdicta, ita nec alienorum prædiorum conductores eſſe poſſunt, ſive illa urbana fuerint ſive ruſtica, *l.* 31. *l. fin. C. de locatione*, ne vicinis graves præſumptione cinguli militaris exiſtant, neve armorum atrocitatem non in hoſtes oſtendant, ſed contra miſeros Provinciarum colonos, dum ad hæc ſordida veniunt miniſteria, & relictis ſtudiis publicis ſigniſque victricibus, ad alienarum rerum conductiones proſiliunt. Unde & in *d. l. fin.* hanc in illos pœnam decernit Imperator, ut ex ipſo conductionis contractu ſine prævia Judicis ſententia militiam amittant, ex militibus pagani, ex decoratis infames conſtituantur, & quicquid à publico acceperint, ſine mora vel procraſtinatione teneantur reſtituere. Domum nihilominus & ſtabulum aliaque ad uſum proprium neceſſaria conducere nefas non eſt, Acacius Enenkel *de Privil. milit. lib.* 2. *privil.* 11. *n.* 8. Non etiam conductorum mandatores eſſe poſſunt ſtipendia merentes, *l.* 31. *C. de locato*, nec procuratores, ne pro conjunctis quidem perſonis, patre, matre, vel uxore, §. *fin. inſtit. de exception. l.* §. 8. 2. *ff. de procuratoribus*, *l.* 7. *C. eod. tit.* adeo ut is, qui militem conſtituit procuratorem, ſi forte quid ea de cauſa dederit, indebiti condictione vel ob cauſam datorum poſſit repetere, *l.* 5. *C. de condict. ob cauſa datorum.* Sed ſi neceſſariis perſonis de libertate quæſtio mota fuerit, jure poterit

terit pro iis litigare miles, idque libertatis favore, cujus intuitu ſingularia multa leges indulſerunt, *l.* 3. §. 1. *ff. de liberali cauſa*, vel ſi ſuorum perſequi velit injuriam, *l.* 8. *C. de his qui accuſ. non poſſ.* Multo minus propriis ipſe negotiis inoffenſâ diſciplinâ ſupereſſe prohibetur, *l.* 9. *C. de procurat.* Ideoque etiam univerſi numeri communem poteſt cauſam agere, cum communia curans negotia etiam ſua curare cenſeatur, *l.* 8. §. 2. *ff. de procurat.* Ne autem ſub ſpecioſo cauſas ſuas agendi prætextu quaſvis aliorum lites redimeret, id ipſum diſertis verbis Alexander Imperator vetuit. *l.* 7. *C. eod. tit.* Lites tamen redemiſſe non cenſetur, cui honeſto ac verecundo fine ceſſæ ſunt actiones; *l.* 9. *C. eod. tit.* Propter ſacramentum inſuper militibus accuſare prohibitum eſt, *l.* 8. *ff. de accuſat.* & ob ſtipendiorum honorem illicitum vacantia Fiſco deferre bona, *l.* 8. §. 6. *ff. de jure Fiſci*, armis enim occupari, & à negotiis forenſibus remoti eſſe debent, nec linguæ ſed armorum præſidio fortitudinem demonſtrare; niſi de ſummo perduellionis crimine ſit diſceptatio: quos enim obſecro ad accuſandum, quos ad indicandum pernicioſiſſimum Reipublicæ crimen, ad eamque evertendam maxime directum, quos ad detegendos patriæ communis hoſtes rectius admiſeris, quam illos, qui pacis publicæ cauſa, proque conſervanda Republica, & defendendis ac protegendis civium opibus ac libertate præcipue ſolent excubare? *l.* 7. §. 1. *ff. ad leg. Jul. majeſtat.* Viri militares præterea nec fidejubere poſſunt, niſi in rem ſuam, veluti pro procuratore ſuo, *l.* 8. §. 1. *ff. qui ſatiſd. cogunt.* nec focariæ vel concubinæ ſuæ quicquam donare, *l.* 2. *C. de donat. inter vir. & uxor.* nec in civilibus aut criminalibus cauſis executores conſtitui, *l.* 8. *C. de*

de offic. Rector. Provinc. nec per eos à Provincialibus exigi tributa. *l.* 10. *C. eod. tit.* Ad privatum denique Ducis opus, veluti piſcatum, venatum, miles mitti nequit: ſic enim in Auguſti diſciplinâ cautum; *& ſi ſcio fabrilibus operibus exerceri milites non eſſe alienum, vereor tamen, ſi quicquam permiſero, quod in uſum meum aut tuum fiat, ne modus in ea re non adhibeatur, qui mihi ſit tolerandus. l.* 12. §. 1. *ff. de re militari.* Proinde ſi Judex militaris ad obſequia privata milites auſus fuerit deputare, ab eo militum magiſter per ſingulos, qui contra Principis interdictum privata ejus curarint negotia, ſingulas exiget auri libras, *l.* 15. *C. de re militari.* Quid quod jure novo graviſſimæ ſtatutæ ſint in illos pœnæ, qui militem domi detinuiſſent privatis occupatum operibus: detinens quippe dignitate mulctatus & bonorum publicatione; detento exauctorato ultimum inflictum ſupplicium; exilium & mulcta graviſſima iis, qui id toleraſſent. *Novell.* 116. Gudelinus *de jure noviſſimo lib.* 5. *cap.* 21.

30. Cæterùm hæc hodie pleraque mutata ſunt, noſtris enim militibus contractus celebrare, agros colere, fidejubere, & civilia tractare negotia conceſſum eſt, Zypæus *notit. jur. Belgic. tit. de re milit.* etiam tutelæ fungi munere. Groenwegen *ad* §. 14. *inſtitut. de tutelis.* Militiam tamen iis à tutela juſtam tribuere excuſationem, ſiquidem illam ſuſcipere nolint, æquum eſt; cum etiam pacis tempore non ſemper in iiſdem maneant præſidiis: verum alio ſæpius commigrare cum cohorte cogantur, adeoque non propriis, multo minus pupillorum negotiis ſupereſſe poſſint.

CAPUT VII.

De Judicibus militaribus.

1. *Milites habent proprios judices.*
2. *Quinam penes Romanos de militum cauſis judicaverint?*
3. *Qui hodie penes nos?*
4. *Quo in loco Judices militares jus dicant?*
5. *In quo conſiſtat judicum militarium officium? & ne affectibus indulgeant.*
6. *Non obſervant ſtrictè juris ſolemnitates, & ſummariè cauſæ terminantur.*
7. *Non debent excedere juriſdictionis ſuæ limites.*
8. *Si miles delictum commune commiſerit, utrum ad civilem, an vero ad militarem Judicem de jure Romano ſpectet ejus cognitio, diſquiritur, ac Judici militari locum eſſe ſtatuitur.*
9. *Quid moribus circa Judicum militarium juriſdictionem in criminalibus obtineat, & quorum delictorum domeſtica quaſi coercitio fieri poſſit? quorum coercitio non niſi per conſilia militaria irroganda ſit? An à ſententiis latis in criminalibus per conſilia militaria appellari poſſit?*
10. *Ad cujus Judicis cognitionem ſpectent civiles militum controverſiæ.*
11. *Miles fori præſcriptioni validè renunciat, imo jure noviſſimo milites in cauſis civilibus ut plurimùm non aliis ſubſunt, quam Judicibus civilibus.*

1. PEculiari denique jure in ſagatorum favorem introductum eſt, quod proprios habeant in mili-

militia Judices, qui de ipſorum cauſis cognoſcunt liteſque definiunt; nec ad aliorum poſſint pertrahi tribunal, teſte Juvenale ſatyr. finali.

Legibus antiquis caſtrorum, & more Camilli
Servato, miles ne vallum litiget extra,
Et procul à ſignis, juſtiſſima Centurionum
Cognitio eſt igitur de milite, nec mihi deerit
Ultio, ſi juſtæ defertur cauſa querelæ.

Atque hinc ipſorum judicium appellatum eſt ducianum, *l. fin.* §. 3. *C. de re militari*, quippe in quo copiarum Duces Judicum funguntur officio.

2. Erant autem olim varii militum Magiſtri, penes quos erat ſumma poteſtas & in milites arbitrium, ademtâ Præfectis Prætorio per Conſtantinum militari juriſdictione; hi civiles ipſorum controverſias determinabant, hi inquirebant in militum delinquentium crimina, proque flagitii atrocitate ſupplicia decernebant in convictos ſceleris reos; ut ad Duces cæteros nulla pertineret accuſationum & actionum militarium cognitio. Et in Occidente quidem duo fuiſſe perhibentur militum Magiſtri, equitum alter, alter peditum; quinque autem in Oriente, quorum duo præſentales erant, tertius Magiſter militum Orientis, quartus Magiſter militum per Thracias, quintus per Illyricum appellatus eſt, Panciroll. *in notit. Imperii utriuſque cap.* 30. Cæterùm Magiſtri militum præſentales ad Magiſtrum militum Orientis ad reſponſum ex officio ſuo mittebant, cujus interventu milites univerſi in Oriente parebant Magiſtro militum Orientis, *l. fin. C. de re militari.* Cujacius *in comment. ad d. l. fin.* Sed cum difficile foret, per unum omnia militaria diſcuti negotia, atque inde contingeret, ut cauſæ, quas protinus terminari neceſſitas exigebat, temporis diuturni moram ſæpe pate-

rentur; Imperatori Anaſtaſio conſultius viſum fuit (cum id & Reipublicæ & ſingulis operam bello navantibus profuturum cerneret) ut Magiſtri militum præſentalium, vel miſſo ad reſponſo Duces ſpectabiles ſedis ejuſdem Magiſtri quaſlibet militares controverſias latâ ſententiâ finirent, *d. l. fin. C. de re milit.* Quod etiam Centurionibus quondam conceſſum fuiſſe docet adductus paulo ante ex Juvenale locus; & teſtatur Polybius *lib.* 6. in conſilium militare adhibitos fuiſſe Tribunos, & ex ordinum Principibus illum qui primus lectus eſſet. Quod ſi Ducibus ipſius vel eorum apparitoribus aut limitaneis aut caſtrorum Præfectis quæſtio moveretur, coram ſolo Magiſtro officiorum conveniendi erant, nec aliis ſubjacebant judicibus, *l.* 8. *C. de diverſ. officiis & apparit. judicum &c.* Conſtat autem, non ipſos Duces, viros ſpectabiles, obſtrictos fuiſſe ad examinandas ac decidendas univerſas militum cauſas; ſed illorum arbitrii & æſtimationis fuiſſe, pro qualitate negotiorum, aut quantitate, quæ devotiſſimis militibus ab adverſariis eorum ingerebatur, vel ſuam audientiam interponere ligitiis, vel eorum diſcuſſionem dicatiſſimis principiis ſeu arbitris in locis degentibus committere, *l. fin.* §. 4. *C. de re milit.*

3. Moribus hodiernis eodem fere modo militum Præfecti Duceſque de militaribus cognoſcunt negotiis, & ad judicandum admittuntur plerunque præſidii Præfecti, Tribuni, Centuriones, ipſorum vicem gerentes, ac Signiferi ibidem commorantes, *Inſtruct. milit. art.* 65. Quod ſi tamen ex ejuſmodi Præfectis pauci ſint præſentes, etiam Decani, & ex Gregariis quandoque rerum maximè periti in definiendis controverſiis adhiberi poſſunt, Pappus *in comment ad d. artic.* 65. *lit.* P.

4. So-

4. Solebant autem Præfecti penes Romanos in principiis jura dare militibus, & quamvis per principia plerunque deſignetur prima aciei pars ſeu principum ordo: quandoque tamen etiam denotatur in caſtris comparatus ad judicandum locus, quod adductâ Livii autoritate perſpicuè docet Stewechius *in comment. ad Veget. de re milit. lib.* 1. *cap.* 20. eoque facit *l.* 16. §. 2. *C. de erogat. milit. annonæ*, ubi Imperator Anaſtaſius inquit; *causâ apud devotiſſima principia ſecundùm præfatum modum tractatâ utriuſque partis indemnitati ſimiliter conſulatur.* Unde & per illa Marci Juriſconſulti verba; *principiis frequenter intereſſe in l.* 12. *ff. de re milit.* Wiſſembach nihil aliud intelligi cenſet, quam, exercitum regentis officium eſſe frequenter militum audire controverſias, eorumque lites enatas per ſententiam ſopire, *diſput.* 39. *ad pandect. n.* 27. At hodie nullus certus ad judicandum locus eſt conſtitutus, niſi quod ad Ducis illius, qui dignitate cæteros antecedit, ædes aut tentorium conveniant plerumque de cauſa aliqua ſententiam dicturi. Quin & aliquando ſub dio, ſpectantibus univerſis, per Duces ſuffragia feruntur, maximè, ſi negotium moræ impatiens ſit, uti quondam à Græcorum principibus factum in inſigni illâ inter Ajacem & Uliſſem de Achillis armis contentione, de qua Ovidius lib. 13. Metamorphoſ.

Conſedere Duces, & vulgi ſtante coronâ,
Surgit ad hos, &c.

Atque ita in patente campo de capite deſertoris acta comitia me vidiſſe memini in Gallia, ubi in circulo conſtituti legionis Duces eum ad mortem condemnabant; & adductum illicò per commilitones ſclopetis mandabant interfici.

5. Porrò militarium Judicum officium eſt, ut ſi

quis criminis alicujus incuſetur, & graves adverſus accuſatum militent præſumtiones, in vincula reum conjiciant. Ne tamen ad vanum quempiam, vagum, & incertum rumorem ſtatim carceri mancipent viros, cæteroquin, quantum ex ante actâ vitâ conſtat, honeſtos & illæſæ famæ: licet enim poſtea quis innocentiam ſuam Judicibus abundè probaverit, nunquam tamen adeo penes commilitones inflictam diluet carceris infamiam, quin ſemper adhuc aliqua exiſtimatione macula inhæſura ſit. Reo cuſtodiæ commiſſo ad accuſatorum attendant objectiones, teſtium depoſitiones examinent, nec ægrè ſuſcipiant rei innocentiam docere cupientis allegationes & exceptiones, ejuſque preces audiant benignè; nec illum longo carceris ſquallore conſumant, ſed quamprimum, ſi culpâ careat, abſolvant; ſin convincatur, condemnent, ac meritis pro perſonæ, temporis, loci, delicti qualitate ſubdant ſuppliciis. Novos autem ad inſtar Buſiridis aut Phalaridis corporis cruciatus & inaudita pœnarum genera excogitare nefas; dira, criminis qualitatem excedentia, non infligenda ſupplicia; non pœnæ pœnis cumulandæ; non ultra morbum adhibenda remedia; non propter leviora crimina ignibus, rotis, & tremendâ machinatione ad ſupplicii pompam exſtructâ ſæviendum, nec horridus paſſim adhibendus mortis apparatus; ſed juxta leges ac conſtitutiones unumquodque crimen vindicandum, *Inſtruct. milit. art. 65.* cum in judicantis poteſtate facti quæſtio ſit, non autem juris autoritas; adeo ut reum quidem nocentem vel inſontem pronunciare poſſit; aſt ubi nocentem declaravit, de neceſſitate legis pœnam teneatur irrogare, *l. 15. ff. ad municipalem:* neque enim aut ſeverior aut clementior lege, quæ ita diſponit, judex eſſe debet,

bet, *Novel.* 82. *cap.* 10. Quod ſi forte militum Præfecti ſint juris imperiti, & ignorent planè legiſlatorum placita, reperiuntur Juriſconſulti; ab illis conſilia poſtulent, illorum ſequantur nixam legibus, exemplis rebuſque judicatis fultam ſententiam: non id indecorum, non vitio vertendum: ſi namque quondam provinciarum Præſides ſuos habuerint aſſeſſores, ex quorum ſuggeſtione provincialibus jura reddebant; ſi Cæſar Auguſtus Trebatium alioſque divini & humani juris ſcientiâ præditos in unum convocaverit, ad deliberandum, quid juſtum, quid æquum, quid utile foret ſubjectis; *princip. inſtit. de Codicillis.* Si ſæpius ſuggerente Triboniano novas Juſtinianus condiderit conſtitutiones; ſi Alexander Severus in conſilium ſemper adhibuerit viros juris peritiſſimos, quibuſcum de negotiis arduis diſceptabat, Fabium, Sabinum, Ulpianum, Ælium Gordianum, Paulum, Pomponium, Alphenum, Africanum, Florentinum, Martianum, Caliſtratum, Hermogenem, Venuleium, Triphonium, Celſum, Proculum, alioſque, è quorum commentariis luculentis præcipuè conflata quinquaginta digeſtorum volumina; neque quicquam ſanciverit, niſi adhibitis viginti legum peritis, Æl. Lamp. *in vita Alexandri Severi.* Quis parum conveniens eſſe dixerit, ſi viro militari jura ſuppeditet togatus?

Præſertim autem his in Judicibus requiritur in judicando ſincera, tranquilla, ſedata, nulliſque partium ſtudiis, quibus in tranverſum rapiantur, obnoxia mens: ſi namque præpoſteris animi motibus & perturbationibus agitentur; non cogitatione vel conſilio litem explorare, non indagare rei veritatem, nec ambigua cauſarum fata juxta legum dictamen dirimere poterunt, ſed pro ratione, pro ve-

ritate, pro jure ſtabit & dominabitur obſeſſa præconceptis ſiniſtris opinionibus voluntas. Quemadmodum igitur in Duce militari quatuor præcipuè virtutes eſſe neceſſarias in anteceſſum demonſtravi; ſic ex adverſo militaribus judicibus ante omnia quatuor evitandos eſſe principales affectus exiſtimo, quibus ceu totidem vinculis conſtringitur libera cauſas terminandi poteſtas, jura pervertuntur, & deſtruitur inviolata judiciorum ſanctitas; quales ſunt amor, odium, timor, & cupiditas. Amorem & amici nomen à litium diribitoribus, dum judicis partibus funguntur, ponendum eſſe cenſeo: ſi enim propinquis aut conſanguinitatis neceſſitudiniſve nexu junctis faveant; & immoderato ferantur hujus affectus æſtu, non amplius alienam, ſed propriam litem agi, propriamque cauſam periclitari credent, nec poterunt æquâ lance producta utrinque litigantium argumenta perpendere; ſed quicquid amici patronus allegaverit, id juſtum, id honeſtum eſſe volent: uti enim amatores non rectè de venuſtate, forma, gratia, vel animi dotibus amaſiæ ſuæ judicium ferre poſſunt, quod oculorum ſenſum premat amor; ſic & omnem inquirendæ veritatis occaſionem judices amiſerunt, quorum animum non præcepta legum, non recta ratio, ſed amor regit. Interim in æquitatis & juſtitiæ locum ſumma ſucedet injuria, neque quicquam aliud legitimam foventi cauſam ſupererit, quam ut oleum pariter & operam perdat. Pellant deinceps à tribunalibus ſuis odium, & imbecillis ac enervata ſit in Judicum conſeſſibus invidia: ea enim ſi ipſis imperitaverit animi peſtis, juxta vindictæ cupiditatem potius quam ſcripta Legiſlatorum placita ſententiam ferent, & omnem prenſabunt adverſus inimicum iniquè decernendi occaſionem, vel in ſcirpo no-

dum

dum quæſituri, ſi quidem alio modo denegata fuerit ultionis exercendæ facultas.

Metum quoque removeant in judicando, neceſſe eſt; ne alioquin à recto juris & æquitatis tramite deflectant, dum hominis potentioris aut factioſi minis perterriti, cauſæ juſtitiam curioſius inveſtigare, vel ei convenienter ſententiam ferre non audent. Nullius ſanè mortalis potentia, comminationes, & terriculamenta pluris ſunt facienda, quam jus ipſum & præſtitum à judicandi munus ſuſcipiente jusjurandum; neque quiſpiam à crimine pronunciaverit immunem Pilatum, laverit licet coram populo manus, cum non ignarus, innocentem eſſe noſtrum Salvatorem, eum nihilominus occidendum traderet, quia ſcilicet concitatum Judeæ gentis, Chriſtum ad crucis ſupplicium poſtulantis, furorem metuebat. Sic ut potius illos, quibus eſt demandata judicandi Provincia, deceat imitari Juriſconſultorum principis Papiniani candorem, qui nullâ vi nulliſque minis adigi potuit, ut abominandum Caracallæ fratricidium citra ſcelus commiſſum eſſe cenſeret; ſed patulam maluit carnifici ferienti cervicem præbere. Quod plurimis tam Ethnicorum quam Chriſtianorum exemplis docet p. m. Parens Paulus Voet *tractat. de juriſprudentia ſacra cap.* 3. *ſect.* 2. *num.* 8.

Denique cupiditatem & avaritiam cane pejus & angue fugiant, nec admittant pollicitationes, pretia, præmia, munera à manu, à lingua, ab obſequiis litigantium prodeuntia: uti enim inter armorum ſtrepitum, ſic & inter pecuniæ numeratæ ſonum leges plerumque ſilent; auro quippe loquente nihil pollet quævis oratio; hoc velut ariete ſi concuſſu ac labefactata fuerit jus dicentis conſtantia, corruet etiam ſincerus in litibus definiendis animus;

mus; & ubi in aurem Judicis ſuſurraverit pecunia, raucеſcit illico vel diſertiſſimi patroni tuba, & decantatâ ipſius voce jura ſuffocantur: ſimulac muneribus & donis eſt aperta dextra, venalis erit ignoſcentium gratia, venalia jura, venalis ipſa judicum ſententia. Proinde tum demum piè ſanctèque Judices facient, ſi nec inimicitiâ, nec benevolentiâ, nec timore, nec avaritiâ, nec ullâ aliâ iniquâ causâ ducti, nullam adverſus ea, quæ noverint, ſententiam tulerint, ſed conſcientiæ, juri, legibuſque congruam.

6. Non tamen adeò religiosè Judices militares ordinario procedendi modo & formulis alioquin uſurpari ſolitis aſtricti ſunt, nec ad amuſſim omnes illas obſervare tenentur juris communis ſolennitates, verum ſummariè coram illis cauſæ ſunt expediendæ, *placit. ordin. general.* 29. *April.* 1589. Sic Juvenalis ſatyrâ ult. poſtquam de dilationibus & lentis cauſarum definitionibus conqueſtus fuiſſet; *Aſt illis*, inquit, *quos arma tegunt, & balteus ambit,*
Quod placitum eſt, ipſis præſtatur tempus agendi,
Nec res atteritur longo ſufflamine litis.

Præſertim in delictis militum levato velo tractandæ ac diſcutiendæ cauſæ; quapropter, ſi quis in flagranti fuerit flagitio deprehenſus, ſine mora damnandus eſt, & exemplo lata ſententia executioni mandanda: adeo ut moribus illico ex arbore proxima ſuſpendi ſoleant addicti ultimo ſupplicio rei, neque iis ad diſponendas res ſuas, componendoſque penates ullum indulgeatur temporis intervallum.

7. Interim ſummâ circumſpectione cavendum iis eſt, ne juriſdictionis ſuæ limites excedant, nec de cauſis judicent ad cognitionem ſuam non pertinentibus; ſed delicta ſecundum auctoritatis ſuæ mo-

modum caſtigent, *l.* 12. §. 2. *ff. de re milit.* Ac proinde paucis diſquirendum, quænam ad civilium, quænam ad militarium Judicum ſpectent juriſdictionem.

8. Duces quidem delicta militaria à militibus perpetrata coërcere poſſe extra controverſiam poſitum eſt: quid vero ſtatuendum ſit, ſi delictum commune miles admiſerit, inter Doctores non certo conſtat, aliis illius cauſæ criminalis cognitionem diſcuſſionem ac definitionem militari, aliis civili judici tribuentibus. Qui Ducum juriſdictionem non ultra militaria protendi delicta cenſent, varias adducunt in opinionis ſuæ probationem leges, præſertim *l.* 2. *l.* 3. *ff. de re militari*, *l. fin. ff. de accuſat. l.* 1. *C. ad leg. Cornel. de ſicar. Novell.* 8, *cap.* 12. Inferunt inſuper, ſi negotiatoribus ademtum ſit fori privilegium, multo minus delinquentes eo uti poſſe, quia gravius utique eſt delinquere quam negotiari. Probabilior tamen contraria ſententia, firmo ſtabilita legum fundamento: lege namque nona *ff. de cuſtod, & exhibit. reor.* illud in militibus ſervari dicitur, ut ad eum remittantur, ſi quid deliquerint, ſub quo militant. Quod etiam confirmatur, *l.* 1. *C. de exhibend. & tranſmitt. reis.* Quid quod Imperatores reſcripſerint in *l.* 1, *C. de officio magiſtri milit.* Magiſtros peditum & equitum in provinciales nullam penitus habere poteſtatem, nec ampliſſimam præfecturam in militares viros. Proinde quemadmodum nullis in cauſis provinciales coram militum Magiſtris, ſic nec milites coram Præſidibus aut Præfectis prætorio conveniri queunt. His adde *l.* 6. *C. de juriſdict. omnium judic.* quæ militarem reum niſi à ſuo Judice nec exhiberi, nec, ſi in culpa ſit, coërceri poſſe docet. Denique in *l.* 2. *C. Ubi quis de curiali*

riali vel cohortal. aliave condit. conven. & *l. unic. C. in quib. cauſ. milit. fori præſcriptione uti non poſſint*, armata diſertis verbis excipitur militia.

Neque repugnant illa, quæ ab opinionis contrariæ patronis in adverſum diriguntur argumenta: quod enim attinet *l. 2. ff. de re militari*, ea nihil aliud dictat, quam in communi crimine à milite commiſſo communem eſſe perſecutionem, hoc eſt, ſi miles commune perpetraverit delictum, velut adulterium, homicidium &c. eodem modo adverſus eum, ac contra paganum inſtituendam accuſationem, eandemque decernendam eſſe pœnam, quod per Judicem militarem fieri facillimè poteſt, nec hic negatur. Lex autem 3. ejuſdem tit. jus ſingulare conſtituit in deſertore, partim in criminis enormis odium; partim etiam, quia deſerens quodammodo miles eſſe deſiit, voluntate utique propriâ & affectu: ſic ut ei privilegium fori militare competere non debeat, & hic regulæ juris locus ſit, quæ docet, exceptionem firmare & declarare regulam in caſibus non exceptis, de qua Auguſt. Barboſa *Axiomat. jur.* 85. *n.* 4.

Non etiam obſtat *l. fin. C. de accuſationibus*, quæ quidem ſtatuit, ibi puniendum eſſe militem, ubi crimen contractum eſt, ſi grave ſit; nihil tamen de Præſide Provinciæ vel civili Judice determinat, neque negat, illum ibi, ubi commiſſum ſcelus, plectendum eſſe per militares Judices, ideoque hic obtinent aliarum legum conſtitutiones, quæ expreſſe Ducibus tribuunt his in negotiis judicandi poteſtatem.

Multo minus adverſatur ſententiæ noſtræ *l. 1. C. ad leg. Cornel. de Sicar.* neque enim agit de milite criminis reo poſtulato: ſed de tali, qui, cum caſu fortuito, vel ſaltem abſque occidendi animo homi-

hominem peremiſſet, ne quis cum dolo homicidium admiſiſſe ſuſpicaretur, ſponte Præſidi Provinciæ ſemet obtulit, & non accuſatus ultro vocavit adverſarios, ut ipſum innocentiam docentem & à ſceleris ſuſpicione ſe liberantem audiant, poſteaque prout viſum fuerit cedant aut contendant. Hoc itaque in caſu miles actor eſt, unde conſultius imo neceſſe ipſi erat rei forum ſequi, ne ordinem judiciorum interverteret, *l. 1. C. de offic. diverſor. judic.* Nullo jure ad id obligatus erat; verum id ei ſolummodò ſuadet Imperator Antoninus; *rectius fecerit*, inquit, *ſi ſe Præſidi Provinciæ obtulerit, qui ſi probaverit, non occidendi animo hominem à ſe percuſſum eſſe, remiſsâ homicidii pœnâ ſecundùm diſciplinam militarem ſententiam proferet.*

Non infringit inſuper opinionem noſtram argumentum à negotiante milite deſumtum, ſcilicet, ſi non competat illi fori præſcriptio, multo minus eam delinquenti concedendam, quia gravius eſt delinquere quam negotiari: illud enim ſi procederet, nec in militaribus delictis milites fori gauderent privilegio, (quod tamen ab adverſæ ſententiæ propugnatoribus ſtatuitur) cum & militariter delinquere gravius ſit, quam negotiari. Verum inter negotiationem & delictum ſatis evidens eſt ac ſufficiens differentiæ ratio: negotiatio enim & militia conſiſtere ſimul non poſſunt, *l. un. C. negotiat. ne militent.* Adeoque qui mercaturam exercet, miles amplius eſſe nequit, ſed militiâ cadit ſimul atque de negotiatione conſtiterit, *l. fin. C. de juriſdict. omn. judic.* proinde nec militaribus gaudet prærogativis. At delictum non tollit militiam, utique non omne, & non ante latam ſententiam; ſed manent nihilominus in numeris delinquentes; quid
ni

ni ergo iis etiam tribuenda fori præſcriptio?

Non obſtat denique Novella 8. cap. 12. §. 1. cujus ipſa verba, quia mendoſa admodum eſt vulgata verſio, exhibebo, ſic ibi inquit Imperator; ἐπὶ γὰρ τοῖς τοιȣ́τοις καὶ τȣ̀ς στρατιώτας, τȣ̀ς ἐν ταῖς ἐπαρχίαις ὄντας αὐτοῖς ὑποτάττομεν, ȣ̓ δὲ ἐκεῖσε δεομένοις προστάξεώς τινος ἰδίας ἢ παρ' ἡμῶν, ἢ παρὰ τῶν ἡμετέρων ἀρχόντων, ἀλλὰ τῷ παρόντι νόμῳ χρωμένοις, καὶ τȣ̃τον αὐτοῖς δεικνύȣσιν, ὥστε ἐπαμύνειν αὐτοῖς, χρωμένοις τῇ τῆς ἀρχῆς παρρησίᾳ. Id eſt; *in iis enim etiam milites in Provinciis exiſtentes ipſis ſubjicimus, neque ad id indigentibus proprio aliquo mandato, vel à nobis, vel à noſtris Principibus, ſed præſenti lege utentibus, & hanc iis oſtendentibus, ut opem ferant ipſis principali fiduciâ utentibus.* Unde nihil aliud probari poterit, quam, milites in eo Præſidi Provinciæ ſubjectos eſſe, quod exhibitâ hâc conſtitutione illos cogere poſſit, ut ipſum adjuvent, ſi capitis hujus præceptum adverſus Provinciales executioni mandare velit; non autem, quod & milites ei quoad forum competens in criminibus eſſent ſubjecti. Quod ſi quis dicat, verba ἐπὶ γὰρ τοῖς τοιȣ́τοις, ad illa crimina reſpicere, de quibus in initio d. cap. 12. actum erat, ſic ut in iis coram Præſide milites forent accuſandi; ei neceſſario ſtatuendum eſſet, hic correctum eſſe jus antiquum, & nec in communibus, nec militaribus delictis ullum jure noviſſimo militibus relictum eſſe fori privilegium, cum d. cap. 12. principium de univerſis criminibus & ſecutis inde læſionibus agat; quod abſurdum; cum non conſtet ex Imperatoris verbis, juris veteris introductam eſſe mutationem, cur igitur antiquum

ſiquum ſtare prohibetur? *l.* 32. §. *fin. C. de appellat. & conſultat.* Ideoque rectius quis fori privilegium, quo uti prohibet Imperator, intellexerit de privilegio non ſcripto, qualia conſuetudine nonnunquam contra Legiſlatoris mentem introducuntur; non autem de eo, quod ſpeciali lege certis perſonis indultum eſt, *gloſſ. ad Novell.* 69. *cap.* 2. *verb. privilegio*, præſertim quia ſubjungitur, ne quis *delinquat innoxiè*, cujus periculum in illo fori privilegio, quod militibus conceſſum eſt, non metuendum; cum illi neutiquam impunè peccent ſuum allegantes privilegium, ſed per Judices militares rigidis plectantur ſuppliciis. Miles igitur, ſi à Provinciæ Præſide captus fuerit, ad Duces ſuos remittendus eſt.

9. Mores hodiernos quod ſpectat, illi in nonnullis à jure Romano divortium fecerunt. Ab Albano duce latam anno 1570. conſtitutionem refert Chriſtinæus *Deciſ. tom.* 5. *deciſ.* 221. *n.* 16. quâ cautum, ut Legati militumque Tribuni conſilium militare conſtituentes, de omnibus militaribus ſoli cognoſcerent criminibus, non autem de communibus, niſi in caſtris, vel expeditione, vel hibernis, vel inter commilitones eſſent perpetrata; extra hos caſus propter delictum commune milites à civilibus judicibus condemnari poſſent. Cujus decreti pleraque ut æqua uſu fere à noſtratibus approbata ſunt, poſtquam Hiſpaniæ jugum excuſſerunt patriæ partres: adeo ut ob commune crimen miles tam coram civili quam militari Judice reus poſtulari poſſit, & eo caſu præventioni locus ſit; *Placit. Ordin. General.* 29. *Aprilis anno* 1589. Unde ſi alterutrius Judicis mandato fuerit apprehenſus, coram eo cauſa peragenda & terminanda erit, altero excluſo, atque ita judicatum fuiſſe teſtatur Sande

Deciſ.

Deciſ. Friſiæ lib. 1. *tit.* 1. *definit.* 4. Groenewegen *ad l. 6. C. de jurisdict. omn. judic.* Quod ſi delictum militare ſit commiſſum, ad ſolos militares Judices ejus pertinebit coërcitio; ut tamen in gravioribus criminibus ad Conſilium Status fœderati Belgii (non item ad delegatos Ordinum cujuſque Provinciæ appellari poſſit, ſecundùm tradita à Petro Bort, van Criminele saken, *tit.* 1. *ſub num.* 50. *pag. mihi* 22. *col.* 2. *& pag.* 23.) vel ad conſilium militare ſuperius, (cui majores ut plurimùm Duces velut Tribuni, eorumque Legati, quandoque turmæ vel cohortis Præfecti adhibentur:) præſertim ſi de flagitio per Præfectum commiſſo mota ſit coram militaribus Judicibus controverſia. Cæterùm poſt hæc, primâ editione excusâ, circa militarium Judicum in criminalibus juriſdictionem quaſdam inductas fuiſſe mutationes, obſervatu dignum videtur. Etenim, cum, convenienter præmiſſis, id datum eſſet Ordinum Hollandiæ Delegatis, ut de militum concuſſionibus, intra Hollandiæ territorium admiſſis, concurrentem cum militaribus Judicibus haberent juriſdictionem, atque exercerent ex præventione, Instructie voor de Gecommitteerde Raden van Holland, 4. *Octobr.* 1670. *art.* 5. *vol.* 3. *Placit. Holland. pag.* 92. atque inſuper epiſtolâ Sereniſſimi Magnæ Britanniæ Regis Guilielmi tertii ad Ordines Ultrajectinos datâ anno 1675. comprehenſum fuiſſet, in omnibus delictis communibus, per militantes commiſſis in perſonas aut familias aut res non militantium, præventioni locum eſſe oportere, ſic ut aut ordinarius aut militaris Judex in hiſce competens eſſet, uter præveniſſet; de cætero Judices militares nullam habere poteſtatem in non militantes, adeo, ut etiam duello inter militantem

&

& non militantem orto, punitio non militantis ad ordinarium Judicem, non militarem, ſpectaret; quemadmodum ex oppoſito de delictis militaribus, aut etiam de communibus inter ſolos milites perpetratis abſque ulla non militantium læſione, cognitio ſoli Judici militari ibidem reſervabatur: tamen tandem ex recentiſſimo decreto Conſilii Status Fœderati Belgii 9. *Februar.* 1703. & per id revocato in uſum decreto Ordinum Generalium 25. *Martii* 1651. Judicibus militaribus in iis urbibus, quæ in Comitiis Ordinum ſuffragii jus habent (STEM IN STAET HEBBEN) reſtricta fuit juriſdictio criminalis, dum conſtitutum, ne ultra extendant aut exerceant eam, quam ſi quæſtio ſit de neglectis officiis in obeundis vigiliis & expeditionibus, aut de crimine transfugii ad hoſtes, vel deſertionis, vel tranſitus de cohorte in cohortem ſine præcedente miſſione, aut de delictis, quæ à Præfectis militibuſve in Præfectos aut milites, non in alios, admiſſa ſunt. Quamvis haud improbabile videatur, delicta communia à militibus commiſſa etiam aliis in urbibus ac locis, quæ in Comitiis Ordinum ſuffragii jure non gaudent, ad Judicum Ordinariorum ſpectare cognitionem, ſi modo perpetrata fuerint in tali Provincia, quæ in Comitiis Ordinum Generalium Fœderati Belgii ſuffragii jus habet, prout illam dicti decreti anni 1651. interpretationem ſuaſit ſubſecutum deinceps decretum Ordinum Hollandiæ 30. *Sept.* 1654. quo placuit ſimpliciter, abſque reſtrictione ad loca ſuffragii jus habentia, delicta omnia communia ex ſua natura ad ordinarii, non militaris, Judicis juriſdictionem pertinere, ſecundùm tradita in Reſponſo juridico, apud Petrum Bort VAN CRIMINELE SAKEN *tit.* 1. *ſub num.* 50. *pag. mihi* 22. *col.* 1. Qui & ulterius

de militari juriſdictione videri poteſt *in d. tit. 1. num.* 50. ut & quæ amplius ſcripſi in *comment. ad Pand. tit. de judiciis num.* 103. *& ſeqq.* ubi & expoſui, quid juris circa juriſdictionem in paganos delinquentes, qui ſortitione vel aliter pagatim in numeros ſeu cohortes relati, difficilioribus temporibus militant, & crimini militari ſe reddunt obnoxios, & quid, ſi pagani pendente accuſatione apud ordinarium Judicem, vel etiam poſt ſententiam, ſed ante executionem ejus, militare cœperint, *num.* 105. *&* 106.

Sed nec prætermittendum, delicta militum graviora, quæ ſcilicet contra leges militares & edicta commiſſa ſunt, coërceri debere per conſilium militare in urbibus Præſidiariis, nec domeſticæ Præfectorum legionis ſubeſſe coërcitioni: at, ſi levius ſit admiſſum, veluti, ſi Gregarius aut Ordinis inferioris Præfectus ultra tempus literis commeatûs expreſſum emanſerit, aut ebrius fuerit, aut irreverenter erga Præfectos ſuos ſeſe geſſerit, ſic ut propter ea coërcitio vindictarum, (SPITSROEDEN) aut equi lignei, aut portationis ſclopetorum vel ephippiorum, aut condemnationis ad panem & aquam, aut alia ſimilis leviorve imponenda ſit, decerni eam debere per Præfectos legionibus; ut tamen ante executionem hoc ſignificent urbis Gubernatori. REGLEMENT OP DE PROCEDUREN DER MILITAIREN, IN SAKEN VAN GERINGE IMPORTANTIE, 24. *Febr.* 1687. *art.* 7. 8. *vol.* 4. *Placit. Holl. pag.* 167. Obſervandum denique, conſilia militaria urbium præſidiariarum in criminalibus ita judicare, ut appellatio omnibus remota ſit, ſive ex ſola confeſſione, ſive ex aliis allegatis ac probatis, ſententia lata ſit, REGLEMENT OP DE PROCEDUREN &c. *art.* 1.

10. In cauſis civilibus etiam ſatis ampla Judicum militarium poteſtas; omnium enim civilium controverſiarum, quæ inter milites ventilantur, penes eos eſt deciſio, ſive commilitoni miles litem moverit, *l.* 12. §. 2. *ff. de re milit. l.* 6. *C. de juriſdict. omn. judic.* ſive paganus de re factove quopiam adverſus milites inſtituerit actionem, *d. l.* 6. cum, uti ſupra dixi, actor rei forum ſequatur. *L.* 2. *C. de juriſdict. omn. judic.* At ſi quis, poſtquam coram ordinario Judice civili in jus vocatus eſt, nomen militiæ dederit, in ea cauſa jus revocandi forum non habebit, quaſi præventus, *l.* 7. *ff. de Judiciis l. fin.* §. 1. *C. de in jus vocando.* Præſertim cum & juris ſit axioma, ibi judicium accipere finem debere, ubi ſemel inchoatum eſt, *l.* 30. *ff. de Judiciis.* Radelant. *deciſ. cur. Ultraject. deciſ.* 79. Atque etiam cauſâ cadat, quicunque inchoatum coram Judice judicium ad aliud auſus fuerit transferre tribunal, *l. fin.* §. *fin. C. de in jus vocando.*

11. Poterit autem ſponte miles civilis Judicis juriſdictione ſe ſubmittere. Unde quæſitum, ſi paganus quis cum milite contrahere noluerit, niſi ſub illa conditione, ut fori præſcriptioni miles renunciaret, an ex pacto ſubſecutâ renunciatione miles poſtmodum in jus vocatus exceptionem fori declinatoriam poſſit objicere? Reſpondit Juſtinianus in *l.* 29. *C. de pactis.* Nemini licere adverſus ſua pacta venire & contrahentes decipere, adeoque militi privilegium alleganti obſtituram & pacti & doli exceptionem: juxta regulam enim juris quilibet licentiam habet his, quæ pro ſe introducta ſunt, renunciandi, *d. l.* 29. *l.* 32. §. 4. *ff. ad Senatuſconſult. Vellejan.* Hodie ut in criminalibus cauſis ſic & in civilibus ad utrumque Judicem, (civilem nempe & militarem) cognitio pertinet. Groenweg.

ad l. 6. C. de offic. diverſor. Judic. Quamvis & hic poſt hæc, primâ vice editâ, quædam aliter conſtituta fuerint: cum enim epiſtolâ Sereniſſimi Guilielmi Tertii, Magnæ Britanniæ Regis, ad Ordines Ultrajectinos datâ anno 1675. cautum fuiſſet, ordinarii Judicis juriſdictionem fore, quoties miles à non milite, vel miles à milite perſequi vult ſibi debitum, niſi inter duos milites de ſtipendio militari lis eſſet; atque inſuper placuiſſet, à ſententiis centum florenos haud excedentibus, ac infamiæ ſequelam haud habentibus, per conſilia militaria urbium præſidiariarum latis, appellari non poſſe; Reglement op de procedure der Militairen in saken van geringe importantie 24. *Feb.* 1687. *art.* 2. *vol.* 4. *Placit. Holl. pag.* 167. tandem ex recentiſſimo decreto Conſilii Status Fœderati Belgii 9. *Februar.* 1703. & per id revocato in uſum decreto Ordinum Generalium, 25. *Martii* 1651. Judicibus militaribus in illis urbibus, quæ in Comitiis Ordinum ſuffragii jus habent, denegata in univerſum videtur omnis juriſdictio in cauſis civilibus, ſic ut viri militares in iis *apprehenſibiles, convenibiles, juſticiabiles & executabiles* ſint apud Judices ordinarios, ſententias ſuas etiam in ſtipendiis militum condemnatorum executioni daturos, ſi alia bona deficiant.

CAPUT VIII.

De Miſſione Militum, & Pace.

1. *QUotuplex ſit Miſſio Militaris?*
2. *Quæ ſit honeſta Miſſio, & quot ſtipendia requiſita fuerint ad eam impetrandam, tam in peditibus quam equitibus?*

3. *Quæ*

3. *Quæ ſit cauſaria miſſio ?*
4. *An & cauſariâ miſſi gaudeant veteranorum privilegiis ?*
5. *Num honeſta in ſpecie miſſus ante legitimum tempus, privilegiis veteranorum in perpetuum fruatur ?*
6. *Non temerè concedenda Miſſio cauſaria.*
7. *Quæ ſit ignominioſa Miſſio ?*
8. *Quales ignominiâ mitti poſſint ?*
9. *Quæ pœnæ comitentur ignominiâ Miſſos.*
10. *De his qui ad tempus ignominiâ Miſſi ſunt.*
11. *Eſt etiam Miſſio extraordinaria.*
12. *De Pace.*

1. DIximus ante, quo pacto milites fuerint electi; ſupereſt ut diſpiciamus quibus modis iidem à militiæ liberentur onere. Citra militarem miſſionem numeris nullus eximi poteſt; ea autem vel ad momentum eſt, quando miles eum in finem mittitur, ut in aliam referatur cohortem, & ita miſſus, licet hinc ſit exemtus, & illo nondum pervenerit, juris tamen fictione miles manet, *l. un. ff. de bonor. poſſeſſ. ex teſtament. milit.* Vel ad tempus, idque ratione ſtipendiorum emeritorum; vel ſenectutis, aut infirmitatis; vel delicti & calliditatis propriæ. Unde in tres ſpecies plerunque dividitur; alia enim honeſta eſt, alia cauſaria, alia ignominioſa, *l. 2. §. 2. ff. de his qui notantur infam. l. 13. § 3. ff. de re milit.* Nullus tamen dubito, quin & ad bimembrem miſſio commodè cogi poſſit diviſionem, qualis eſt in *l. 8. §. 5. ff. de excuſat. tutor. l. 2. C. de his qui non implet. ſtipend.* Iis enim in legibus ſub honeſta miſſione cauſaria quoque comprehenditur, quatenus nullam miſſo irrogat infamiam, nec ipſius lædit exiſtimationem, *l. 8. C. de re milit.*

2. Et honeſta quidem miſſio eſt, quæ impleto militiæ tempore datur in remunerationem fidæ devotionis, *l.* 2. §. 2. *ff. de his qui not. infam. l.* 13. §. 3. *ff. de re milit. l.* 8. *ff. de excuſat. tutor. l.* 9. *C. quando provoc. non eſt neceſſe.* Cæterùm non ſemper idem penes Romanos fuit militiæ tempus in peditibus: olim enim quandoque triginta vel quadraginta nonnullos ſtipendia feciſſe legimus; at ſub Octaviani Auguſti Imperio prætoriani duodecim, cæteri ſexodecim annis militiæ ſubire cogebantur incommoda. Suetonius *in vita Auguſti.* Tiberius denique viginti annorum ſtipendia milites merere juſſit, Tacitus *Annal. lib.* 1. Neque poſtea quicquam in eo videtur immutatum fuiſſe. Valtrinus *de re milit. lib.* 6. *cap.* 5. Equites autem poſt decimum, ex quo in militiam adſcripti fuerant, annum equos ſuos ad duum viros ſeu cenſores in forum deducebant, ibique miſſionem impetrabant, pro meritis vituperio vel laudibus excepti, Plutarchus *in apophth. de Pompeio.* Quicunque verò honeſtam conſecutus fuiſſet ab exercitûs Imperatore vel cenſoribus miſſionem, omnibus veteranorum privilegiis munitus erat, *l.* 3. *C. de his qui non implet. ſtipend. l.* 2. *C. de re milit.* Porro miſſio honeſta in gregariis tantùm, non in majoribus obtinebat militibus; exercitûs tamen Præfectis cæteriſque Ducibus tacitè etiam honeſtam datam eſſe miſſionem conſtat, dum accepto ſucceſſore domum revertentes militare deſinebant, *l.* 24. *ff. de teſtam. milit.*

3. Miſſio cauſaria eſt, quapropter ætatem aut animi vel corporis vitium parum idoneus militiæ miles renunciatur, *l.* 2. §. 2. *ff. de his qui not. infam. l.* 13. §. 3. *ff. de re milit.* Bocerus *de bello, cap.*16. *n.* 12. Atque etiam honeſta eſt, quanquam

ab

ab ea diſtincta, quæ in ſpecie honeſta dicitur: miſſus enim cauſariâ miſſione privilegiis veteranorum, qui pleno ſtipendiorum numero functi ſunt, uti nequit, *l.* 2. *C. de his qui non implet, ſtipend.*

4. Quia tamen & cauſariâ miſſo præmia præſtari convenit, *l.* 13. §. 2. *ff. de re milit.* ideo quoque pro ratione temporis, quo militaria ſuſtinuit onera, habebit à muneribus & honoribus vacationem, *d. l.* 2. *C. de his qui non implet. ſtip.* ut, ſi poſt quinquennium miſſus fuerit, anni; ſi poſt octo annos, biennii; ſi poſt duodecim, triennii; ſi poſt ſexdecim, quadriennii; ſi poſt viginti, perpetuâ fruiturus ſit immunitate, *l.* 8. §. 3. *ff. de excuſat. tutor.*

5. Quod ſi quis non cauſariâ ſed honeſtâ in ſpecie miſſione, quam & gratioſam appellant, ex indulgentiâ Principis à belli muneribus liberatus fuerit ante tempus, de qua *l.* 2. §. 2. *ff. de his qui not. infam.* etiamne tempus illud, quo ſtipendia meruit, computabitur, ut pro illius modo veteranorum gaudeat prærogativis? Probabilior illa eſt opinio, quæ talem omnium privilegiorum perpetuo participem fore ſtatuit: miſſionem quippe merâ Principis impetravit munificentiâ; at certum eſt, beneficium, quod à divinâ Imperatoris proficiſcitur indulgentiâ, pleniſſimam recipere interpretationem, *l.* 3. *ff. de conſtit. Principum.*

6. Non autem facile propter morbum aut debilitatem mittuntur cauſariâ milites: requiritur enim, ut, denunciantibus medicis, & competente Judice diligenter examinante, vitium ad impetrandam miſſionem ſufficiens contractum eſſe conſtet, *l.* 6. *C. de re militari.* Quod ſi per ſub vel obreptionem quis miſſionem hanc fuerit conſecutus, auri quinque librarum mulctandus incommodo, *l.* 2. *C. de diverſ. offic. & apparit. judic.*

7. Ignominioſa miſſio eſt, cum milites propter delictum militiæ ſacramento ſolvuntur, *l.* 2. §. 2. *ff. de his qui not. infam. l.* 13. §. 3. *ff. de re milit.* Et omnes ignominiosè miſſi infamiâ notantur, *l.* 1. *ff. de his qui not. infam.* Exprimenda autem eſt illius cauſa, *l.* 2. §. 2. *d. tit.* ſed ſi miſſus ignominiâ fuerit abſque ulla infamiæ mentione, veluti, ſi militi arma vel equus auferatur, haſtæ rumpantur, gladii diffringantur, & detrahantur inſignia militaria, eum nihilominus miſſum famæ comitabitur jactura, *d. l.* 2. §. 2. *l.* 13. §. 3. *ff. de re milit.*

8. Nec milites ſolummodò gregarii ignominiosè mitti poſſunt, verum etiam Duces, Tribuni, & ipſi exercituum Præfecti, ac ex Prætoris edicto fiunt infames, licet conſularibus utantur inſignibus, *d. l.* 2. *in princip. ff. de his qui not. infam.*

9. Ultra exiſtimationis læſionem etiam variæ miſſos ignominiâ pœnæ manent, veluti quod nullis honoribus, quæ dignitatis illæſæ viris deferri ſolent, fungi poſſint, *l.* 3. *C. de re milit.* nec in ſacro comitatu agere aut commorari, *l.* 13. §. 3. *ff. eod. tit.* adeoque ab urbicis planè tutelis removeantur, *l.* 8. §. 9. *ff. de excuſat. tutorum*, quod de caſtrenſi peculio teſtari nequeant; cum ipſis præmia non debeantur, *l.* 26. *ff. de teſtam. milit*, quodque, cum honeſtâ ac cauſariâ miſſi non torqueantur, hi tamen quæſtionibus ſubjici poſſint, *l.* 8. *C. de quæſtionibus.* Præterea cum veteranorum teſtamenta jure militari facta valeant intra annum à miſſione, horum non ſubſiſtat ejuſmodi ſuprema voluntas, *l.* 4. *C. de teſtament. milit.* p. m. Parens Paulus Voet *in comment. ad* §. 3. *inſtit. de teſtam. milit.* denique quod nulla pro militiæ laboribus commoda ferant.

10. At-

10. Atque hæc quidem in ignominioſa miſſione locum habent, ſi miles in perpetuum miſſus fuerit; quod ſi ad tempus tantum miſſio facta ſit, poſt impletum temporis conſtituti ſpatium non prorogabitur infamia, *l.* 1. *C. de his qui in exil. dati. arg. l.* 8. *ff. de poſtulando*, *l.* 3. §. 1. *ff. de decurion.* ne ſcilicet exaggeretur, & ulterius extendatur contra ſententiæ fidem pœna tempore determinata. Quicunque autem poſt conſtitutum tempus in ordinem redit, priſtinam quidem recipit dignitatem, aſt ad novos honores non admittitur, niſi tanto tempore his abſtinuerit, quanto per fugam abfuit, *l.* 2. *C. de his qui in exil. dati. l.* 15. *ff. ad municipalem.*

11. Præter has tres ordinarias miſſionis ſpecies eſt & alia extraordinaria, quæ non inhoneſta rectè dici poſſet: cum quis enim evitandorum munerum gratiâ nomen militiæ dedit, exauctoratur; & ejuſmodi miſſione nullam exiſtimationi maculam infligi ſæpiſſimè reſcriptam eſt, *l.* 2. §. 2. *ff. de his qui notant. infam.* Pari ratione citra famæ diminutionem mittitur, qui in numeros eo animo ſe referri curavit, ut ſub obtentu militiæ pretioſiorem adverſario ſe faceret, & nec tranſigere cupit, neque litem deſerere, *l.* 4. §. 8. *ff. de re milit.*

12. Cum autem non aliam ob cauſam adhibeatur omnis ille belli apparatus, quam pacis impetrandæ gratiâ, quæ belli pretium eſt; nullo modo negligenda Principibus ejus obtinendæ occaſio, niſi videri velint omnium, ac præſertim ſubjectorum penitus odiſſe felicitatem: nihil quippe pace jucundius aut dulcius, nihil magis blandum ac ſalutare, nihil præſtantius in hac vita mortalium generi ab immortali Deo dari poteſt: vel ſolum pacis nomen gratum civibus eſt & acceptum, nec unquam illi eo dementiæ perveniunt, ut bellum, quam honeſtam

neſtam cum finitimis concordiam malint, ſperatæ potius victoriæ pacem certam præpoſituri. Scilicet utilia victis eſſe de belli fine fœdera, pulchra victoribus, uno omnes ore merito fatentur: in hac enim mundi compage cuncta pace florent ac conſiſtunt; hæc eſt bonarum artium fœcunda mater, hæc divitiarum decora tutrix, hæc candida morum cultiorum magiſtra; hâc bidens vomerque vigent, & inconcuſſus arva colit arator, hâc libera nautis in altum vela dandi, libera mercatoribus ad Indos ſine metu currendi conceſſa facultas. Quiſquis proinde libertatem tranquillam & humanam ſocietatem conſervare cupit; quiſquis ſimultates ſublatas, ſopitas iras, & in tuto conſtitutas extra periculum dignitates deſiderat; quiſquis quietum amat populum, Senatum concordem, & Rempublicam morum honeſtate veſtitam; quiſquis denique ſalvas opes, patriam optat incolumem, pacem ſanctè colat neceſſe eſt, & ſupremum almæ pacis Autorem ſupplex veneretur, velit inter orbis Principes conſervare pacem, eorumque ſic inflectere ſenſus atque corda, ut armis reconditis in concordiam revertantur, & in amicitiam ac fœdera quamprimum coëant ipſorum dextræ.

FINIS.

INDEX CAPITUM TRACTATUS DE JURE MILITARI.

CAPUT I.

De bello in genere & nonnullis ejus ſpeciebus ac diviſionibus.

1. *Bellum dictum eſt à duello.*
2. *Belli definitio à Bocero tradita notatur.*
3. *Exhibetur juſta belli definitio.*
4. *Cur bellum vocetur diſſidium armatum?*
5. *Ad bellum requiritur utrinque liber populus, nec bella civilia propriè bella ſunt.*
6. *Bellum rite per fecialem denunciandum eſt, quod quo pacto olim, quibuſque ritibus factum fuerit docetur.*
7. *Bellum omni jure licitum eſt.*
8. *Illi ſoli, penes quos ſuprema reſidet majeſtas, indicendi belli jus habent.*
9. *Privatus privato ſub eodem Principe degenti bellum inferre nequit.*
10. *Non etiam privatus extraneo ſeu Principi ſeu privato bellum jure movet.*
11. *Princeps tamen ſubjectis indulgere poteſt licentiam per vim repetendi injuſtè ablata, unde repreſſalia.*
12. *Privatus ſine Principis conſenſu bellum extraneo inferens læſæ majeſtatis reus eſt.*

13. *Illa-*

13. *Illatum tamen ex improviſo bellum impune ſine prævio Principis mandato repellit.*
14. *Bellum juſtum vel injuſtum eſt, juſtum ex jure gentium.*
15. *Injuſtum bellum non eſt ex jure gentium.*
16. *Non datur bellum utrinque juſtum.*
17. *Iniqua in bello juſto ſingulorum facta non tollunt primam belli juſtitiam.*
18. *Juſtæ belli cauſæ ad tria capita rediguntur.*
19. *Legitima bellandi cauſa non eſt ſola gloriæ cupido.*
20. *Nec amplificandi imperii deſiderium.*
21. *Nec religionis propagandæ & hæreſeos extirpandæ voluntas.*
22. *Si ſubjectis à Principe religionis ergo vis inferatur, non ideo licet ipſis in eum inſurgere.*
23. *Niſi libera civitas eâ conditione Principi extraneo ſe ſuaque commiſerit, ut liberum retineat religionis arbitrium.*
24. *Quomodo ac quando liceat ſubjectis in Principem tyrannum arma capere.*
25. *Propter legatorum violationem jure bellum infertur.*
26. *Nefas eſt propter juſtas belli rationes, ſuper quibus pace vel fœdere tranſactum eſt, bellum movere, niſi dolus paci cauſam dederit.*
27. *In bello quod prorſus injuſtum eſt ſubjecti non debent opem ferre ſuo Principi bellum inferenti.*
28. *Stratagemata in bello licita ſunt.*
29. *Majori laude digni Duces qui ſtratagematibus quam qui aperto marte ſuperant adverſarios.*
30. *Illicitus eſt in bello dolus cum fidei violatione conjunctus.*
31. *An proditorum operâ uti liceat.*
32. *Dolus cum mendacio conjunctus eſt illicitus.*
33. *Bellum vel terreſtre eſt vel maritimum.*

CAPUT II.

De militiâ, qui, quales & quomodo in militiam ſint adſcribendi.

1. *Variæ enumerantur militiæ ſignificationes.*
2. *Militis definitio & etymologia proponitur.*
3. *Non ſufficit ad id ut quis miles dicatur, quod ſolummodò matriculæ militum inſcriptus ſit.*
4. *Quid ſit in numerum relatio?*
5. *Quæ ejus requiſita?*
6. *Olim inviti in militiam adſcripti milites.*
7. *Quomodo milites tam pedites quam equites apud Romanos lecti fuerint?*
8. *Milites lecti probabantur ac ſtigmate notabantur.*
9. *De ſacramento militari ejuſque neceſſitate & utilitate.*
10. *Quid ſit cingulum militare?*
11. *Poſt relationem in numeros demum cincti milites non ante.*
12. *Quo pacto hodie penes nos conſcribantur milites?*
13. *De ſtipendio militum, ejus definitione origine & augmento.*
14. *De veſtibus & annonâ militum.*
15. *Ante alios eligendi militum filii.*
16. *Pauperibus anteponendi ditiores.*
17. *A militiâ arcentur fœminæ.*
18. *Ut & Clerici ſeu Eccleſiaſticæ perſonæ.*
19. *Naturâ inſuper aut captivitate ſervi & his ſimiles.*
20. *Non eligendi impuberes, ubi de juſta ad militiam ætate.*
21. *Nec infamiâ notati, ob atrox ſcelus damnati, criminis capitalis rei.*

22. Ne

22. *Nec hæretici.*
23. *Nec ſurdi, muti, cæci.*
24. *Nec caſtrati.*
25. *Nec in armis tractandis imperiti.*
26. *Nec coloni, ſaltuenſes, negotiatores.*
27. *Nec timidi aliique his affines.*
28. *Nec luxuriæ ac voluptatibus dediti.*
29. *Ruſtici urbanis præferendi.*
30. *Juvenes etiam anteponendi ſenibus, ſi de gregariis quæſtio ſit, non item ſi de Ducibus.*
31. *Utrum expediat ex una gente, an vero variis è populis conflatas ducere copias.*

CAPUT III.

De variis militum gradibus & ſpeciebus, præſertim de exercitûs Imperatore ejuſque requiſitis.

1. *Milites vel voluntarii ſunt vel inviti.*
2. *Equites vel pedites, & equites peditibus honoratiores.*
3. *Limitanei vel comitatenſes.*
4. *De cohortibus prætoriis & eorum ſtipendiis.*
5. *A diverſis armorum generibus diverſa milites nomina ſortiti ſunt.*
6. *Qui fuerint equites cataphracti?*
7. *Qui velites ac pilani?*
8. *Qui haſtati, Principes ac triarii?*
9. *Enumerantur machinæ bellicæ majores.*
10. *Quid ſit exercitus?*
11. *Quæ legio, & quæ ejus partes?*
12. *Quid per legionem quid per vexillationem deſignetur, ſi hæc inter ſe opponantur?*

13. *Cu-*

13. *Cujacii ſententia refellitur.*
14. *Ut & Turnebii opinio.*
15. *Proponitur autoris opinio.*
16. *De legionis & partium ejus Præfectis.*
17. *De hodiernis exercitibus.*
18. *De nitri pulveris præſtantiâ, cujus primus autor defenditur adverſus atroces nonnullorum calumnias.*
19. *In exercitu penes unum non penes plures ſummum reſidere debet imperium.*
20. *Optimus quiſque in belli Ducem eligendus.*
21. *Ab exercitus imperatore maxima dependet ejus ſalus & felicitas.*
22. *Requiritur in ſupremo Duce maximè rei militaris peritia.*
23. *Illa lectione & experientia acquiritur.*
24. *Præter rei militaris peritiam etiam aliarum artium ac diſciplinarum ſcientia in Duce neceſſaria, rejectâ Naudei ſententiâ.*
25. *Ante omnia in Imperatore pietas in Deum requiſita.*
26. *Etiam in eo neceſſaria eſt fortitudo, & ut exemplo ſuo milites ad ea, quæ imperat, peragenda ſtimulet.*
27. *Spem vultu ſimulare debet Imperator, & premere corde dolorem, ſi quæ adverſa videantur imminere.*
28. *Summa requiritur in eo prudentia ad procurandum ad exercitûs ſalutem neceſſaria, præſertim ut crebrò milites exerceat.*
29. *Expeditum ducere debet exercitum ſarcinis non onuſtum.*
30. *Non temerè fides adhibenda transfugarum dictis ac conſiliis.*
31. *Non intercludenda hoſtibus fugæ via; ſed pro-*

priis

priis potius militibus imponenda confligendi neceſſitas.
32. *Nec in ſuperatos hoſtes gravi ſæviendum ſupplicio.*
33. *Requiritur etiam in imperante autoritas.*
34. *Eamque maximè conſervabit illæſam ſi curet ne differatur ſtipendii ſolutio.*
35. *Omnis Imperatori evitanda occaſio, quâ colluſionis cum adverſariis incuſari vel ſiniſtra de ipſo concipi poſſet opinio.*
36. *Autoritatem Imperatori conciliat, & perquam neceſſaria eſt comitas & affabilitas.*
37. *Ut & eloquentia militaris.*
38. *Anniti debet Imperator, ut vitia quæcunque, quantum per humanam infirmitatem licet evitet.*
39. *Multum prodeſt in acie Imperator in præliis felix.*
40. *Non tamen ex præliorum eventu ſemper de imperantis prudentiâ vel peritiâ judicandum eſt.*

CAPUT IV.

De Delictis ac Criminibus Militum, eorumque pœnis.

1. *Pœnarum gravitate milites in Officio continendi ſunt.*
2. *Delicta militum aut communia ſunt, aut propria, aut mixta.*
3. *Varia ſunt pœnarum militarium genera.*
4. *Miles delinquens ibi puniendus eſt ubi crimen commiſſum, vel ubi reperitur.*
5. *Milites plerunque durius puniuntur quam pagani, & nonnunquam ſortis iniquitate pereunt innocentes.*

6. *Tyrones ut plurimum levioribus plectuntur ſuppliciis.*
7. *Ut & milites, ſi vino inebriati crimen commiſerint Jure Civili & Moribus?*
8. *Durum nimis eſt, illos qui citra ſupremi Ducis mandatum feliciter cum hoſte conflixerunt, ultimo plecti ſupplicio, & immane, ſi ea de cauſa pater filium morti addicat.*
9. *Quis ſit proditor, & quam miſera ejus conditio?*
10. *Quibus modis quis proditionis reus fiat?*
11. *Quæ proditorum pœna?*
12. *Etiam conſcii, ſi proditionem non detexerint, ordinariâ proditorum pœnâ plectendi.*
13. *Mulieres, ſi proditionem commiſerint, non mitius quam viri, puniendæ ſunt.*
14. *Qui arcem vel alium munitum locum hoſtibus tradit, mortis reus eſt, niſi reſiſtere amplius non potuerit.*
15. *Læſæ Majeſtatis rei non ſunt, qui non dolo, ſed imperitiâ vel metu munitiones tradiderint, & mitius puniendi ſunt.*
16. *Milites ea quæ ad caſtri defenſionem ſpectant ad Ducis imperium agere detrectantes morte plectendi.*
17. *Navium bellicarum Præfecti, ſi navem temerè tradiderint adverſariis, iiſdem quibus caſtra dedentes afficiendi pœnis: nullo tamen jure compelli poſſunt, ut incenſo pulvere pyrio ſe perimant.*
18. *Transfugæ ſunt Reipublicæ hoſtes.*
19. *Eorum pœnæ enumerantur.*
20. *Sola transfugiendi voluntas punitur, licet eventus fuerit impeditus.*
21. *Nec excuſatur à pœnâ rediens ſponte transfuga, niſi multos transfugas aut latrones deprehenderit.*

22. *Qui ſint deſertores, & quæ deſertionis pœna? Quibus caſibus pœna minuenda? an & propinqui, vel vici, unde oriundi deſertores, puniri vel inquietari poſſint?*

23. *Duces deſerentes Majeſtatis rei ſunt, & in iis ſolus etiam deſerendi conatus puniri debet. Deſertoribus ſimiles, qui ſine miſſione tranſeunt de cohorte in cohortem; quique extra loca cohorti aſſignata, vel extra caſtra aut loca obſeſſa vagantur ſine venia Ducis; & milites nautici, ſi nave ſolvente, in terra remaneant; & hæc, ſive Gregarii, ſives Duces inferiores.*

24. *Qui Præpoſitum non defenderit, ultimi ſupplicii reus eſt.*

25. *De pœna deſerentium ſtationes & excubias, & excubitorum qui dormientes reperiuntur; ſive terreſtri, ſive navali militiâ.*

26. *De iis qui Præpoſito manus intulerint ac omni aliâ militum contumaciâ.*

27. *Quæ ſit illorum pœna qui ex acie aufugerint.*

28. *De fuſtuario & pœnâ illorum qui agmen exceſſerint.*

29. *Muros tranſcendens capite punitur.*

30. *Sive urbis Romæ ſive civitatis municipalis muri fuerint.*

31. *Utrum ſola tranſcendendi voluntas ordinariâ ſit coërcenda pœnâ?*

32. *Ad infligendum ultimum ſupplicium, non intereſt dolone an laſciviâ muros quis tranſilierit.*

33. *Etiam aliis modis quam tranſiliendo violari poſſunt civitatum muri.*

34. *Belli, non pacis tempore pœna capitalis obtinet.*

35. *Nec etiam, ſi quis ab hoſtibus undique circumventus per vallum intra mœnia ſe receperit.*

36. *An pœna capitalis etiam in non militibus locum habeat?*

37. *Quando, & quibus in urbibus hodie pœna capitalis obtinere debeat?*
38. *Quam exitioſa exercitui ſit ſeditio.*
39. *Quid ſit ſeditio? ejus autores ſolos ultimo puniendos ſupplicio, ac ante omnes alios plectendos eſſe Præfectos ſeditioſos.*
40. *Seditionis autorum pœnæ enarrantur. Et quid, ſi in navi tentata ſeditio. Quid, ſi ea fiant, quæ ſeditioni occaſionem præbens & quæ illa ſint.*
41. *Pœna capitalis non obtinet, ſi non contra Principem aut Rempublicam ſed alia de cauſa mota ſit ſeditio.*
42. *Licet ex ſeditione nondum Reſpublicâ ſenſerit incommodum, ultimo nihilominus ſupplicio plectendi autores.*
43. *Quid ſit conjuratio, & quæ ejus pœna?*
44. *Quæ ſint differentiæ inter conjurationem & ſeditionem?*
45. *Eos qui Ordinibus generalibus Fœderati Belgii vel aliis Provinciarum Rectoribus maledixerint, aut ſeditioſas Orationes inter milites habuerint vel repetierint, jure mortis pœnâ plecti.*
46. *De pœna militum qui commilitones aut alios gladio vel alio inſtrumento læſerint aut injuria affecerint in militiâ terreſtri vel navali.*
47. *De duello, ac pœna tam in provocantes quam provocatos ſtatuta, & quando provocatus ab ordinaria pœna liberetur? De noviſſimo edicto rigido utiliſſimo contra duella.*
48. *De ſui ipſius vulneratione, ubi Stoicorum circa autophoniam opinio exhibetur.*
49. *Jus divinum ac recta ratio autocheiriam prohibent.*
50. *De furto militum, quo provincialibus res ſuas extorquent aut auferunt, & aliâ concuſſione, ejuſque pœna.*

51. *Milites apud præſidii Præfectum profiteri tenentur, res privatis excurſionibus acquiſitas.*
52. *De piratis & eorum pœna.*
53. *De furto militis inter commilitones, vel in eſculentis aliiſque quæ ad caſtra vehuntur commiſſo, & de educentibus, vendentibus, occultantibus ex nave bellica globos, pulverem pyrium, ſimilemve belli apparatum.*
54. *Deficiente ſtipendio nefas eſt militi ea de cauſa Detrectare Duci ſuo obedientiam, & ex adverſo Duces in proprios uſus impendere non debent gregariorum ſtipendia.*
55. *De vexillorum deſertione & amiſſione.*
56. *Pœna illius qui teſſeram militarem non debito modo tradiderit.*
57. *Quid propriè deſignetur pœna corporalis appellatione, Belgicè,* LYF-STRAFFE?
58. *Quæ ſit eorum pœna, quia arma amiſerunt aut alienarunt?*
59. *De iis qui non omnibus armis inſtructi prodierunt ad excubias agendas; & monſtratur, milites omnibus armis munitos confligere debere, ut maximè poſſint publico prodeſſe.*
60. *Pœna illorum, qui hoſtes deditos interficiunt, aut dimittunt abſque Præpoſiti veniâ.*
61. *Quæ captivorum reverſorum ſit coercitio?*
62. *Utrùm captivi & ægroti illius temporis, quo capti ab hoſtibus aut morbo detenti fuerunt, ſtipendia poſſint exigere?*
63. *De his qui morbum aut languorem ſimulant, vel reſectis digitorum articulis ſe debilitant, ad evitanda belli munera.*
64. *Nemo poteſt eodem tempore duas ſimul militias gerere.*

CA-

CAPUT V.

De Præmiis Militum, & præda bellica.

1. *PRæmiis remuneranda militum fortitudo.*
2. *Milites, qui in acie ceciderunt, perpetua per gloriam vivunt, eorumque liberi publicè alendi.*
3. *De honoribus exercitûs Imperatori tributis, ſupplicatione, triumpho & ovatione.*
4. *Militum minorum præmia enumerantur.*
5. *Præda maximè milites gregarios ad fortitudinem excitat.*
6. *Jure gentium præda primo cedit occupanti.*
7. *Quid juris obtinuerit apud Hebræos in immobilibus ab hoſte captis?*
8. *Quid juris in mobilibus?*
9. *Quid circa res captas tam mobiles quam immobiles Græci obſervaverint?*
10. *Quid jus Romanum circa immobilia capta conſtituerit? & de poſtliminio.*
11. *Quando ager cenſeatur captus ab hoſtibus.*
12. *Mobilia per deditionem acquiſita à Romanis in Fiſcum redacta.*
13. *Aliquando poſtquam capta eſſent, ex poſt facto militibus conceſſa.*
14. *Quando res mobilis capta fiat occupantium?*
15. *Quid circa arma capta fuerit obſervatum?*
16. *Quæ ſit differentia inter prædam & manubias?*
17. *Quid hodie circa res immobiles captas obſervetur?*
18. *Capti non fiunt capientium ſervi, niſi in bello barbarico.*
19. *Quid juris ſit circa mobilia publicis expeditionibus aut excurſionibus privatis occupata? ubi variæ quæſtiones.*

20. *Quid in captis in conflictu maritimo? ubi de fortitudinis præmiis pecuniariis?*
21. *Quid ſi navis ſit amicorum, merces vero hoſtium, aut vice verſâ?*
22. *Utrum rectius cuique quod occupat concedatur; an potius inter omnes inſtitui debeat univerſæ prædæ diſtributio?*
23. *Quid ſi navis ab hoſtibus capta, per amicos aut ſocios recuperetur?*
24. *Quid ſi non recepta, ſed redemta fuerit verum infra juſtum pretium?*

CAPUT VI.

De Privilegiis Militum, & aliis quibuſdam præter jus commune quoad Milites conſtitutis.

1. *QUæ, & quibus competant militum privilegia?*
2. *Iis non gaudent ſupernumerarii milites.*
3. *Nec qui nomine tenus ſolummodo militant.*
4. *Qui propriis ſumtibus militant, iis jure fruuntur.*
5. *Militi, ſine legitimo hærede morienti, ſuccedit vexillatio.*
6. *Res per alium emtâ militis pecuniâ fit militis, eique per procuratorem actio quæritur.*
7. *Pactum inter milites de futura ſucceſſione validum eſt.*
8. *Militibus expeditionem facientibus hoſpitia præbenda ſunt.*
9. *Juris ignorantia militi non nocet.*
10. *Quæ præcipua ratio ſit cur militi non noceat juris ignorantia?*

11. *Num miles excuſetur, ſi jura noverit, & tamen non obſervaverit?*
12. *Cujus juris ignorantia militi non noceat?*
13. *Abſentia expeditionis causâ militibus non obeſt.*
14. *Miles quomodocunque teſtari poteſt.*
15. *Miles, dum luſtrationi vacat, in jus vocari nequit.*
16. *Quid ſi vocetur dum expeditionem ſuſcipit?*
17. *Miles ad mortem condemnatus ex militari delicto teſtari poteſt.*
18. *Gratis à medico curandi milites.*
19. *Uxor mariti in expeditione verſantis aut capti reditum moribus expectare tenetur, nec alteri nubere poteſt.*
20. *Milites & veterani propter debitum civile carceri includi nequeunt, & gaudent beneficio competentiæ.*
21. *Adverſus quos debitores competentiæ beneficio tuti ſint?*
22. *Milites & veterani perſonalibus, non autem ordinariis patrimonialibus exemti muneribus.*
23. *Si filii familias ſint, habent caſtrenſe peculium, ejuſque pleno jure Domini ſunt.*
24. *Privilegium proponitur ſolis veteranis proprium.*
25. *Veteranus, qui miſſionis honeſtè teſtimonium amiſit, modo aliter de eâ conſtet, aut præſumtio pro ipſo militet, non privandus eſt privilegiis.*
26. *Poſt miſſionem infamiâ notatus non gaudet veterani privilegiis.*
27. *Milites veterani & ipſorum filii torqueri, aut plebejorum pœnis plecti nequeunt.*
28. *Num hodierni milites iiſdem gaudeant privilegiis?*
29. *Specialia quædam in militibus conſtituta, quæ ta-*

tamen ipſis non proſunt, enumerantur, veluti quod agrum comparare aut conducere, procuratores, fidejuſſores, accuſatores, tributorum exactores &c. eſſe nequeant.

30. *Quæ tamen pleraque mutata.*

CAPUT VII.

De Judicibus militaribus.

1. *Milites habent proprios Judices.*
2. *Quinam penes Romanos de militum cauſis judicaverint?*
3. *Qui hodie penes nos?*
4. *Quo in loco Judices militares jus dicant?*
5. *In quo conſiſtat Judicum militarium officium? & ne affectibus indulgeant.*
6. *Non obſervant ſtrictè juris ſolennitates, & ſummariè cauſæ terminantur.*
7. *Non debent excedere juriſdictionis ſuæ limites.*
8. *Si miles delictum commune commiſerit, utrum ad civilem, an vero ad militarem Judicem de jure Romano ſpectet ejus cognitio, diſquiritur, ac Judici militari locum eſſe ſtatuitur.*
9. *Quid moribus circa Judicum militarium juriſdictionem in criminalibus obtineat, & quorum delictorum domeſtica quaſi coercitio fierit poſſit? quorum coercitio non niſi per conſilia militaria irroganda ſit? An à ſententiis latis in criminalibus per conſilia militaria appellari poſſit?*
10. *Ad cujus Judicis cognitionem ſpectent civiles militum controverſiæ.*
11. *Miles fori præſcriptioni validè renunciat, imo jure noviſſimo milites in cauſis civilibus ut plurimùm non aliis ſubſunt, quam Judicibus civilibus.*

CA-

CAPUT VIII.
De Miſſione Militum & Pace.

1. *QUotuplex ſit Miſſio Militaris?*
2. *Quæ ſit honeſta Miſſio & quot ſtipendia requiſita fuerint ad eam impetrandam, tam in peditibus quam equitibus?*
3. *Quæ ſit cauſaria Miſſio;*
4. *An & cauſariâ Miſſi gaudeant veteranorum privilegiis?*
5. *Num honeſtâ in ſpecie Miſſus ante legitimum tempus, privilegiis veteranorum in perpetuum fruatur?*
6. *Non temerè concedenda Miſſio cauſaria.*
5. *Quæ ſit ignominioſa Miſſio?*
8. *Quales ignominiâ mitti poſſint?*
9. *Quæ pœnæ comitentur ignominiâ Miſſos.*
10. *De his qui ad tempus ignominiâ Miſſi ſunt.*
11. *Eſt etiam Miſſio extraordinaria.*
12. *De Pace.*

FINIS.

ERRATA.

Pag. 8. *l.* 10.	ſattam	*lege* ſartam
9. *l.* 11.	piæ memparens	piæ mem. Parens
10. *l.* 1.	de erat	deerat
11. *l.* 8.	in corruptam	incorruptam
12. *l.* 12.	*gori*	*geri*
21. *l.* 19.	*jure* hinc	*jure*. Hinc
23. *l.* 13.	ſtarim velle diribitorem	ſtatim velle diremptorem
24. *l.* 28.	ſine	ſane
25. *l.* 5.	*verſana*	*veſana*
26. *l.* 16.	vitupeperantur	vituperantur
31. *l.* 22.	libr. *adde*	2.
l. 34.	incendum	incendium
32. *l.* 21.	improbatutum	improbaturum

CATALOGUS LIBRORUM
JURIDICORUM

Officinæ Simonis t'Serstevens *Bibliopolæ Bruxellis propè Templum RR. PP. Dominicanorum.*

IN FOLIO.

Jacobi Cujacii Opera omnia Juridica. 6. vol.
Pauli Chriſtinæi Deciſiones Belgicæ. 4. vol.
Chriſtin. ad Leges Mechlinienſes.
Voet ad Pandectas. 4. vol. 1723.
Petri Peckii Opera Juridica.
Zoëſius ad Digeſta. Lovanii 1667.
Zoëſius ad Decretales. Lov. 1647.
Chriſtyn ad Conſuetudines Bruxellenſes. 1689.
Anſelmo ad Edictum Perpetuum, Codex Belgicus, Tribonianus Belgicus, Conſultationes & Adviſamenta. 4. vol.
Van Leeuwen Cenſura Forenſis. 1685.
Cancerii Reſolutiones. 1658.
Straccha de Mercatura.
Joannis & Frederici à Sande Opera omnia Juridica. Brux.
Wameſii Conſilia Civilia. 3. vol. Antverpiæ 1639.
Wameſii Conſilia Canonica. 2. vol. Lovanii 1644.
Antonii Gomeſii Reſolutiones & ad Leges Tauri. Antverpiæ 1634.
Cævallos Speculum aureum Opinionum.
Henrici Kinſchotii Conſilia. Bruxellis. 1653.
Praxis Rerum Criminalium Benedicti Carpzovii.
Fontanella de Pactis Nuptialibus, ſive Capitulis Matrimonialibus.
Deckheri Diſſertationes Juris & Deciſiones priores & poſthumæ. 2. vol.
Matthæi de Afflictis & Thomæ Grammatici Deciſiones Neapolitan.
Choppinus de Moribus Pariſiorum.
Paponii Deciſiones de Rebus Judicatis.

Fran-

Catalogus Librorum Juridicorum.

Franciſcus Fulginæus de Jure Emphyteutico.
Mantica de Conjecturis ultimarum Voluntatum.
Brunemannus ad Pandectas & Codicem. 4. vol.
Codex Fabrianus Definitionum Forenſium &c.
Argentré ad Conſuetudines Brittanniæ. Pariſiis 1614.
Benedicti Carpzovii Definitiones Forenſes.
Antonius Peregrinus de Fideicommiſſis.
De Petra de Fideicommiſſis.
Melchior Lotterius de Re Beneficiaria.
Cornelius Brederodius de Appellationibus.
Nicolaus Garcias de Beneficiis.
Chriſtophorus Cruſius de Indiciis Delictorum. 1682.
Sebaſtianus Guazzinus in Defenſam Carceratorum Reorum & ſuper quocumque Crimine. 1668.
Guazzinus & Maſſinus de Confiſcatione Bonorum.
Fernandus Vaſquius de Succeſſionibus.
Oeuvres de Julien Peleus. Paris 1631.
Joannes Novarius de Vaſſallorum Gravaminibus. 1656.
Alexandri Trentacinquii Reſolutiones Practicæ.
Vincentius Fuſarius de Subſtitutionibus.
Joſephi Langii Polyanthæa Noviſſima.
Franciſcus Sarmiento de Redditionibus Eccleſiaſticis.
Conſilia Georgii Everhardi, Nicolai Senioris filii Junioris fratris, 2. vol.
Nic. Everhardi Præſidis Conſilia.
Theſaurus Bartholi per Brederodium.
Deciſiones Senatûs Dolani per Grivellium.
Petrus Surdus de Alimentis.
Bugnyon de Legibus Abrogatis cum Notis Chriſtyn.
Theodori Tuldeni Opera omnia Juridica. 4. vol. ſcilicet
—— ad Inſtituta.
—— ad Digeſta.
—— ad Codicem.
—— de Civili Regimine.
—— de Juriſprudentia extemporali.
—— de Cauſis corruptorum Judiciorum & remediis.
—— de principiis Juriſprudentiæ.
—— Initiamenta Juriſprudentiæ.

Generale Coſtuymen van Brabant, Limborg, en Mechelen, &c. door Chriſtyn. 2. deelen. 1682.
Generale Coſtuymen van Vlaenderen met Notulen van Vanden Hane. Antwerpen. 1674.
Placcaerten van Brabant. 4. vol.
Placcaerten van Vlaenderen. 4. vol.
Conference du Droit François & Romain, Civil & Canonique, par Bernard Automne. Paris 1644.
Arrêts de Louet, par Brodeau. 2. vol.
Papon ad Confuetudines Burbonias, & Arrêts notables de Jean Papon.
Notaire de Jean Papon. 3. parties.
Oeuvres de Loyſeau. Paris 1666.
Mean ad Jus Civile Leodienſium. 3. vol.
Bibliotheque Canonique par Bouchel & Blondeau. 2. vol. 1689.
Bibliotheque du Droit François par Bouchel & Bechefer. 3. vol. Paris 1671.
Oeuvres de Bacquet par Ferriere. 1688.
Journal du Palais. 2. vol. Paris 1701.
Traité de l'Abus, par Charles Fevret. Lyon 1689.
Le Grand ſur la Coutume de Troyes. Paris 1681.
Arrêts du Grand Conſeil à Malines, par du Laury. 1717.

IN QUARTO.

Burgundi Opera omnia Juridica.
Anton. Matthæus de Criminibus.
Idem de Auctionibus.
Idem Parœmiæ Belgarum.
Andreæ Gail & Mynſingeri Obſervationes Practicæ.
Abraham à Weſel Opera omnia.
Lamberti Goris Adverſaria Juris.
Groenwegen de Legibus Abrogatis.
Vinnius ad Inſtituta. 1676.
Tractatus quinque Arnoldi Vinnii.
Andreas Vallenſis ad Decretales.
Idem de Beneficiis.
Vitriarii univerſum jus Civile Privatum. 1697.
Bart. Cæpolla de Servitutibus.

Stock-

Stockmans Deciſiones Brabantiæ.
Idem Tractatus de Jure Devolutionis.
Idem Jus & Defenſio Belgarum contra Evocationes & Peregrina judicia.
Hameida de Recuſation. Judicum.
Franciſci Zypæi Notitia Juris Belgici.
Idem Jus Pontificium novum.
Philibertus Bruſſelius de Conditionibus.
Wameſius de Appellationibus.
Hoppingius de Jure Sigillorum.
Simoncellus de Decretis in Contractibus Minorum.
Radelantii Deciſiones Trajectinæ.
Zangerus de Exceptionibus.
Joannis Parladorii Opera Juridica.
Andreæ Fachinæi Controverſiæ Juris. 2. vol.
Coſtuymen van Nyvel.
——— van Santhoven.
——— van Loven Franſch en Vlaems.
Ordonnantie van den Raede van Brabant.
Tractaet van Grondt-Proceduren, door Peeter en Guilliam Cuypers.
Peckius van Handt-opleggen en Beſetten, Simon van Leeuwen.
Ordonnances du Grand Conſeil à Malines.
Ordonnances Criminelles de Louis XIV.
Procès Civil & Criminel par le Brun.
Traité des Droits Honorifiques des Seigneurs dans les Egliſes, par feu M. Maréchal, & Danty, Avocats. Avec un Traité du Droit de Patronage, de la Préſentation aux Bénéfices, &c. D'Arrêtés ſervans de Déciſions pour les Droits Honorifiques, & un Traité des Dixmes, &c.

IN OCTAVO.

Rodenburg de Jure Conjugum.
A Someren de Jure Novercarum.
Idem de Repræſentatione.
Jus Paſtorum Titularium per Richart. 2. vol.
Richart Paſtor primitivus. 2. vol.

Voet

Voet de Familia Erciſcunda.
—— de Natura mobilium & immobilium.
—— de Statutis eorumque Concurſu.
—— de Jure Militari.
—— de Duellis.
—— Compendium Pandectarum.
Corpus Juris Civilis. 2. vol. Blauw.
Grotius de Jure Belli ac Pacis cum Notis Gronovii & aliorum.
Loccenius de Jure Maritimo & Navali.
Seldeni Mare clauſum.
Vinnii Quæſtiones Selectæ.
Antonii Matthæi Jus Ultrajectinum.
Peregrinus de Juribus Fiſci.
Cenſura Belgica ad Inſtituta.
Schotani Examen Juridicum. 3. vol.
Schotani Diſputationes Juridicæ.
Tuldenus de Principiis Juriſprudentiæ.
Julii Pacii Conciliatio Legum.
Julius Facius ad Inſtituta cum Notis Schotani & Waſſenaer. 2. vol.
Straccha de Aſſecurationibus.
Wurmſerus de Feudis.
Peckius de Teſtamentis Conjugum.
Deciſiones Guidonis Papæ.
Juſtinianus cum Notis Vinnii.
Huygens Notarius Belgicus.
Huygens Notaire Belgique.
Maniere van Procederen in Civile en Criminele ſaken met Noten van d'Heer Boſchaerts.
L'art des Lettres de Change par Du Puy.
Fleury Inſtitution au Droit Eccleſiaſtique.
Ordonnances, Edits & Decrets du Roi ſur le fait de la Juſtice Criminelle du 9. Juillet 1570.
Edit touchant les Cabarets du 10. Juillet 1628.
Placcart de Sa Majeſté Impériale & Catholique contre les Duels, donné à Eberſdorff le 23. Septembre 1682.

Et plures alii.

Arti - 131947

Digitized by Google

10409

Digitized by Google